Ax

Collation [illegible]

Complete [illegible]

JOANNIS DU BOYS,
Pharmacopœi Parisiensis

METHODUS

Miscendi & conficiendi Medicamenta,

Diligenter recognita, & à multis, quibus antea scatebat mendis, repurgata.

Novæ huic editioni accessit

HISPALENSIUM PHARMACOPOLIORUM Recognitio,

AUCTORE,
D. SIMONE è TOVAR,
Hispalensi Medico.



HAGÆ-COMITIS,
Ex Officina THEODORI MAIRE.
CIƆ IƆC XL.

Clarissimo & Excellentissimo

VIRO

D. ISAACO

VAN DAMME,

Medicinæ Doctori ut expertissimo sic fœlicissimo,

Domino suo plurimum colendo.

AVctorem hunc, medicorum literatissime, à te oblatum & ob multijugas utilissimi operis laudes non mediocriter commendatum tibi, ita uti

(:::) 2 fas

fas erat, restituo: sed repurgatum à multis mendis, quibus scatebat, infælicium & inficetorum typothetarum incuria ante annos aliquot Parisiis editus. Num autẽ jam ex officina mea omnibus numeris absolutus renascatur, tuum esto judicium, qui mihi unus instar omnium. Quocirca eum tuis potissimum auspiciis denuo publicãdum censui, tuo unius præsidio adversus invidorum & obtrectatorum malignas voces satis tutum fore arbitratus: ea enim

enim flores gratia, insignibus tuis meritis quæsita, quod justos disciplinarum passus fieri gradus, non cruda adhuc studia ad Medicinã propuleris, sed Græce pariter ac Latine apprime doctus, omnibus Philosophiæ partibus fideliter perceptis, tũ demum rite atq; ordine ad artis Medicæ sacra accesseris, ut nemo ab eo, quod tuo semel comprobatum judicio stetit, temere dissentire audeat. Quo fretus supersedebo hic varias hujus Scripti lau-

des quasi toto horreo remetiri, ne videar te velle docere, quas à te tantum accepi virtutes, & in me competat tritum illud γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, & sus minervam, aut populo, meo testimonio, obtrusum eam, quod tua auctoritate nixũ, tam tenui tibicine non eget. Talibus enim libris Curione non opus est, & præterea hoc tibi debebit avidus Lector, quod ad primam paginam non lassus perveniet.

T. E. *Observantiss.*

THEODOR. MAIRE.

PRÆFATIO.

Etsi complures viri doctrina, ingenio & judicio excellentes, præclaris artem medicam præceptis illustrarunt; nullus adhuc tamen (quod illorum pace dixerim) extitisse mihi quidem videtur, qui veram miscendi medicamenta methodum exacte tradiderit. Nam alii partem hanc prorsus intactam prætererunt; alii parce attigerunt; alii valde obscuram & incertam reliquerunt; alii in infinitas eam controversias adduxerunt. Atque inde adeo fit, ut quæ scriptis aut omnino non mandata est aut certe ambi-

A *gue*

guè ea quisque pro animi utatur sententia, & proprio plerumque feratur judicio. Immo (quod longe est deterius) imperiti medicamenta conficiendi adolescentes, dum artis rudimenta discunt, seque in iis exercent, dominis interdum absentibus, ipsi præceptore destituti, interdum quoque præceptorum institutis, & dominorum vestigiis insistere recusantes, multos & graves errores committunt. Quæ cum ego incommoda, pro meo in omnes rei medicamentariæ studiosos animo, serio apud me frequenter expenderem, & pro publico jam vitæ meæ instituto, nonnulla domi meæ simplicia, quibus ad composita opus est, accurate medicamenta præpararem, forte ita usu venit, ut, qui me opus facientem observarunt (neque ii vul-

vulgaris certe auctoritatis homines, neque segniter in re medica versati) obnixè me rogarent, si quid ea in re possem, meam ut communi omnium utilitati operam non denegarem. Ego vero, quanquam id initio, mei probe conscius ingenii, constanter mihi abnuerem, improbis tamen multorum precibus defatigatus, tandem parui, & pro meis viribus rem cœpi aggredi, ab iis scilicet auspicatus, quæ externo admoventur corpori. Quorum quidem usus, ut minus videri potest periculosus, ita perdifficilis tamen eorum composito singularem periti Pharmacopæi industriam requiri. Sunt autem ea, Cerata, Emplastra, Vnguenta, Olea: quæ & si multas & varias sortiuntur formulas, singula tamen suo explicabimus ordine, quanta id

poterimus facilitate. Neque enim ea inter ſe tam ratione & materia differunt, quam conſiſtentia, hoc eſt, ſoliditate, mollitie & liquiditate. Nam quæ recipiunt Cerata, ea quoque Emplaſtra & Vnguenta admittunt. Nunc igitur ad eorum deſcriptiones accedamus.

DE CERATIS ET EMPLASTRIS.

CERATVM *a* est medicamentum aggregatum ex stirpium partibus, metallicis, mineralibus, terra & animalium partibus, cum cera, ad formam solidam. Proportio autem Cerati est, *b* ut pro unciis tribus olei, ponatur ceræ semuncia, specierum vero drachmæ duæ vel tres. Si liquidius vis habere Ceratum, quarta pars ceræ est ponenda: si solidus, tertia: *c* si ad formam Emplastri, secunda: differtque ab Emplastro tantum mollitie, quia minus ceræ recipit, quam Emplastrum,

 no-

a *Ceratum quid.* b *Ceræ & olei vera proportio ad Ceratum conficiendum.* c *Emplastrum quid.*

nomenque habet à cera. Emplaſtrum vero medicamentum eſſe dicemus aggregatum ex *a* metallicis, mineralibus, terra & animalium partibus ſimul mixtis, durum valde, & ſolidum, quia plus ceræ recipit. Nam in Emplaſtri compoſitione ponitur ceræ uncia una dimidia, olei drachmæ ſex, ſi nulla alia ingrediantur, ſive hyeme, ſive æſtate. Atque hæc quidem ſatis ſit admonuiſſe de quantitate ceræ, & olei. Nunc dicendum eſt in genere, quæ ſit illorum materia, & quomodo in Ceratis, Emplaſtris & Vnguentis apponatur: deinde modum conficiendi, ſeu miſcendi præſcribemus.

Cerata,

a *Ceræ & olei vera proportio ad Emplaſtrum conficiendum.*

Cerata, Emplastra, unguẽta cõficiuntur. Ex

- Stirpium partibus, ut
  - Mucaginibus, quæ ex radicibus & seminibus conficiuntur: Gummi generibus, ut lacrymis omnibus, liquoribus concretis & non concretis, unctuosis, & aquosis, radicibus, corticibus, herbis, floribus, seminibus & consimilibus.
- Metallicis, Mineralibus, & Terra, ut
  - Lithargyrio utroque, Cerusa, Sãdaracha veterũ, Cinnabari, ære usto, æruginis speciebus, flore æris, plũbo, pompholyge, bolo armena & consimilibus.
- Animalium partibus, ut
  - Cera, ladano, axungiis omnibus, oesypo, butyro, Seborum generibus, melle, moscho, ambra, zibetta, glutine piscium, stercore omni, osse Sepiæ, cranio humano, mumia.

Mucagines coctæ adduntur in Emplastris post nutritionem & perfectam coctionem lithargyrij paulatim affundendo, sicque coquuntur ad ipsarum consumptionem, ut videre licebit infra in Emplastris diachyla magni & parvi. In quibusdam unguentis, postquam cera est cum oleis, axungiis, adipibus liquata, & ab igne deposita, frigefacta, semper spatula movendo injiciuntur: ut in unguento resumptivo, & in omnibus unguentis, quæ quotidie à medicis præscribuntur.

Gummi, quæ sunt parteis Stirpium, ut lacrymæ, liquores concreti & non concreti, quædam spatio sex horarum super cineribus calidis macerãtur, proprio & convenienti liquore, (sæpissime in aceto forti, vel vino, ut paulatim solvantur) deinde igne lento, ad humidi non radicalis consumptionem continua agitatione coquuntur, cocta & consumpta humiditate cum terebinthina (si ea addenda veniat) conjunguntur,

guntur, in Ceratis, Emplaſtris & Vnguentis permiſcentur, prius tamen cera, axungia, ſepo, medullis &c. liquefactis & refrigeratis, ut

Ammoniacum,	Opopanax,
Galbanum,	Aſſa fœtida,
Sagapenum,	Bdelliũ, ſi molle ſit.

Gummi alia genera, Thus utrumque, Mirrha, Maſtiche, Lacca, Hædera, Sarcocolla, Juniperinum, Belzoi, Euphorbium vetus, Aloë, ſeparatim in pulverem tenuiſſimum reducuntur, ordineque ſub finem injiciuntur.

Gummi alia calore modico cum oleis ſeparatim vel ſimul cum axungiis, adipibus, ſepis & butyro, ut & Terebinthina, Reſina utraque, Colophonia, pice utraque, ſpatula ſemper ducendo, ſolvuntur, & in initio, aliquando in medio, aliquando in fine ponuntur, ut in Emplaſtro gratia Dei & in unguento Baſilico minori & in Emplaſtro pro ſtomacho.

Gummi alia diſſolvuntur calore me-

diocri cum humore convenienti, ut opium cum pauca aqua rosacea, in unguento rosato Mesuæ, (si requiratur) tragacanthum, arabicum, in unguento resumptivo, hypocistis, acacia (si admittantur) omnia ante infusionem, vel aspersionem pulverum, Ceratis,& Vnguentis induntur.

Radices, cortices, herbæ, flores, aliæque stirpium partes, aliquando recentes, aliquando siccæ necessariæ sunt. Recentes omnes à corde interno separatim inscidantur, & pistillo ligneo in mortario lapideo contunduntur, quæ ubi contusæ fuerint, igne lento una in vino (ut in Cerato Joannis de Vigo, in unguento Neapolitano) aut in oleis (ut in unguento Agrippæ) aut in axungiis & adipibus (ut in unguento populeo) infunduntur, & continua agitatione coquuntur, ut infra videre licebit: scilicet quæ vino maceratæ sunt, ad medias: deinde colantur. Colata vero cum cera, oleis, axungiis, & adipibus

bus ad humidi peremptionem eodem igne coquuntur, & in Ceratis, Emplaſtris Vnguentiſq; primum locum obtinent. Quæ vero in oleis, axungiis & adipibus infunduntur, igne levi, ſpatula ſemper ducendo, ne urantur, coquuntur, donec nihil humidi remaneat: deinde linteolo rudi extorquendo, tranſcolantur, & quod ſiccum eſt, abjicitur: & hæc in Emplaſtris & Vnguentis etiam primum locum habent. Radices, cortices, herbæ, flores ſicci, ſecundum ſuam ſubſtantiam ordine, vel per ſe, in pulverem tenuiſſimum reducuntur, & ultimo ordine in Ceratis, Emplaſtris, & Vnguentis permiſcentur.

Metalla vel Mineralia ſeparatim ſuper porphyrio molula porphyrica; liquore convenienti aſperſo, ducuntur, eouſq; dum in pulverem reducta ſint: ut Ceruſa, Lithargyrium utrumque. Alii in mortario æreo Ceruſam, Lithargyrium utrumq; lavando tractant

(ut in modo miſcendi dicemus) quæ deinde cum oleis ſolis, aut axungiis & adipibus igne lento, ſpatula aſſidue ducendo, aliquot horis nutriuntur, & coquuntur, cocta ſecundum in Emplaſtris & unguentis obtinent locum, & aliquando primum, ſcilicet cum eſt magna eorum quantitas.

Metalla ut Sandaracha veterum, Cinnabaris, æs uſtum, Pompholygis genera &c. pulverata, cum in Emplaſtris & Vnguentis quantitate parva ponuntur, debent poni cum cera liquata eſt cum oleo, vel cum axungiis & adipibus jam refrigeratis, ut videre licebit, in Emplaſtro contra rupturam, & unguento diapomphyligos.

Alia extinguuntur, & cum maſſa Emplaſtri, vel unguenti refrigerata eſt, in fine ponuntur, ut argentum vivum, &c.

Animalium parteis, liquantur ordine, quædam per ſe, aut cum oleis, ut Cera, Ladanum, calore moderato, & ſunt

ſunt in quibuſdam Ceratis & Emplaſtris præcipuum corpus, ut in Emplaſtro pro matrice. Quædam ſeparatim, vel una aliquando cum oleis liquantur calore modico, nivis ac grandinis modo, ut axungiæ & adipes omnes, oeſypus, butyrum, ſeporum genera & mel, quæ in Ceratis & Emplaſtris ponuntur, poſtquam cera erit liquefacta, vel cum Lithargyrium decoctum eſt in modum unguenti. In unguentis vero primum obtinent locum dempta oeſypo, quæ in fine Cerati, Emplaſtri & Vnguenti ſemper poni debet. Aliæ vero cum liquoribus minime unctuoſis in mortario diſſolvuntur, ut moſchus, ambra (quamvis tamen facile calore modico liquari poteſt) zibetta, gluten piſcium, ſtercus omne, & in Ceratis, Emplaſtris & Vnguentis initio quidem ut gluten piſcium, ſtercus omne, in fine vero moſchus, ambra, zibetta admiſcentur, ſed raro niſi à Medicis præſcribantur.

Hacte-

Hactenus breviter liquationes, dissolutiones, coctiones, & triturationes quæ conveniunt ad Ceratorum, Emplastrorum, Vnguentorum & Oleorum confecturam expedivimus. Reliquum est ut ordine, illorum conficiendorum, methodum præscribamus.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

CAPUT I.

Ceratum de Santalis Mesuæ, distinctione XI. de Vnguentis & Emplastris Vsuale.

Textus verus Mesuæ.

a *Rosas rubras exunguatas accipe.*
b *Spodium Arabicum intellige, quia compositio est Arabica, debetque hoc loco lavari propter acrimoniam ab igne contractam. Nam ut ait Galenus, quæ uruntur, acria fiunt: hujusmodi autem acria huic loco non conveniunt, cum ad frigidos affectus hoc ceratum accommodetur.*

℞. *a* rosarum ℥ xij.
Santalorum rubeorum. ℥ x.
Santali albi,
Santali citrini ana. ℥ vj.
Boli Armenicæ ℥ vij.
b Spodii ℥ iiij.
Caphuræ ℥ ij.

c *Ceræ*

c *Ceram ponticam naturaliter albam cape, ſed ejus loco alba noſtra factitia utimur.*	*c* Ceræ albæ ℥ iij. ʒ vj.
d *Oleum roſatum immaturum authoris deſcriptionis, accipe.*	*d* Olei roſati ℔. j.

Conficiatur & adminiſtretur. Sunt qui lavant oleum, & ceram prius, & poſtea permiſcent cum aliis, & eſt melius.

SCHOLIA.

Santala omnia fruſtratim diviſa ſimul in mortario contundes, aquam roſaceam (ne ſubtilior pars effluat) aſpergendo: cumque fere, vel omnino erunt pulveriſata, roſas addes, ut ſimul cum reliquo pulvere ſantalorum perfecte tundantur: deinde tenuiſſimo cribro tranſmittes, nec non ſervabis, donec bolum armenicam & ſpodium in pulverem redegeris ſeparatim tenuiſſime ut alcooch. Deinde cum aliis pulveribus, ante paratis, paulatim permiſcebis. & ad uſum ſervabis. Poſtea ceram confractam in lebete cum oleo, cineribus calidis

calidis aut balneo mariæ liquabis: deinde ubi erit liquata & oleo commixta, aqua rosacea lavabis ter aut quater, semper abjiciendo aquam, & aliam innovando (quanquam re vera, si ceram albam bene depuratam & recentem habeamus, oleumque recens, non est opus ablutione) deinde igne lento siccabis ne humiditas ex lotione remanens, rancorem & putredinem, temporis intercapedine, causetur. Postea finito frigescere, & pulveres prædictos, quos ad usum servaveris, immisce: demum caphuram in mortario cum pistillo calido paululo aquæ rosaceæ solutam (quam alii cum pauco oleo terebinthinæ liquant, quod minime fieri debet, cum terebinthina pro scopo compositionis videatur calidior) totumque probe commixtum, ad usum reconde.

VIRES EX MESVA.

Ad sedandum inflammationes & apostemata dura, calida & super calefactiones, quæ sunt in stomacho & hepate, maxime prodest.

CAPVT

CAPVT II.

Ceratum nobilissimæ operationis Ioannis de Vigo 2. capit. libr. 5. qui intitulatur de morbo gallico confirmato, cum ulcerationibus. Vsuale.

	Textus de Vigo verus ponderibus duplicatis.
a *Oleum chamameli, anethinum, de lilio, de croco, Mesuæ descriptionis accipe.*	℞. *a* Olei chamæmeli.
	Olei anethi.
b *Oleum de spica per sublimationē factum, nōnulli capiunt. Alii de spica nardi compositum.*	*b* Olei de spica.
	Olei de lilio. ana. ℥ iiij.
	Olei de croco. ℥ ij.
c *Alii lib. ij.*	*c* Pinguedinis porcinæ. ℔. j.
	Pinguedinis vitulinæ. ℔. j.
d *Euphorbium recens magis convenit intentioni ratione caliditatis.*	*d* Euphorbii. ʒ x.

e Thu-

e *Thus masculum cape.*

e Thuris. ℥ xx.

Olei laurini. ℥ iij.

Ranas viventes. Nu. xij.

Pinguedinis viperæ. ℥ v.

Lumbricorum lotorum in vino. ℥ vij.

Succi radicis Ebuli.

f *Inulæ radicis ſuccum accipe.*

f Inulæ. ana. ℥ iiij.

Schœnanti.

g *Arabica.*

g Stœchados.

h *Matricariam cum floribus intellige.*

h Matricariæ. ana. M. ij.

Vini odoriferi. ℔. iiij.

Bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionẽm vini, deinde colentur, cui colaturæ addantur.

i *Litha-*

i *Lithargyrium lotum accipe.*

i Lithargyrij auri. ij. ℥ viij.

Terebinthinæ claræ. ℥ iiij.

Et cum cera alba sufficienti ad ignem fiat Ceratum ad modum Sparadrapi, addendo in fine coctura,

Styracis liquidæ. ℥ iij.

Deinde ab igne auferatur, baculo agitando, donec tepidum fuerit, postmodum addentur,

Argenti vivi extincti cum saliva. ℥ viij.

Iterum agitando baculo, donec argentum vivum optime incorporetur.

SCHOLIA.

Debent lumbrici terrena exinaniri fæce, & aqua fontana ter aut quater semper abjiciendo aquã, & aliam innovãdo, leviter ablui, ut quicquid terræ illis adhæserit, auferatur: debent quoque illo vino, quod hanc compositionem ingreditur, macerari, cumque his & eodem vino ranæ adhuc vivæ incoqui ad tertiæ partis consumptionem Tunc Matricariam quoque incisam injicies, deinde Schænanthum incisum ac parum contusum, & Stœcadem ad semilibræ coquendo consumptionem, ut ex quatuor primis libris duæ tantum remaneant. Postea permittes omnia simul ita macerari, donec decoctum penitus refrigeratum sit: deinde colabis per pannum cannabinum rudem, velociter extorquendo, servabisq; quoad tandẽ lithargyrium a nutriatur, agitando baculo, vel spatula lignea, duodecim horarum spatio in lebete amplo cum Oleo chamæmelino, anethino, de lilio, croco & axungiis procinis, vitulinis & viperinis. Alii postquã lithargyrium spissitudinem unguen-

a *Lithargyrii vera nutritio ad Cerata, Emplastra & unguenta conficienda.*

unguenti cum oleis adeptum ſit, tunc axungias paulatim omnes addunt, iterumq; cum lithargyro ad mellis craſſitiem coquunt. Omnibuſque his poſt nutritionem peractam mixtis, fiat decoctio lenta, donec lithargyrium ſpiſſitudinem unguenti acquirat, nec fundo vaſis adhæreat, quod quidem veræ mixtionis indicium erit (quæ vulgo incorporatio appellatur) in quod lithargyrium ita paratum, & decoctum, ſemilibram prædictæ decoctionis infundes, ab igne illud auferendo, ne repentino novarum rerum contactu effluat & elabatur: poſteaque iterum igni forti ad coquendum appones, donec prima injecta humiditas tota abſumatur: ſæpiuſq; idem factitabis, reliquas partes prædictæ decoctionis paulatim injiciendo, donec univerſa humiditas conſumatur: ita ut unaquæq; decoctionis infuſio, non excedat ſemilibram. Statim his peractis, ſuccos ebuli & inulæ campanæ minime defæcatos in lithargyrium ita paratum, infundes. Tunc igne adaucto lithargyrium perfectius ad ſacchari roſati formam concoques, vel ad conſumptionem dictorum ſuccorum, alias non aſſervaretur ſine putredine. Poſthæc ab igne ſepones, & quamprimum ceram minutim inciſam (ſi deſideretur)

deretur) conjicies, qua liquata, totum refrigerare permittes. Deinde Thus, Euphorbium ſemotim in modum alcooch pulveriſatum deſuper inſperges. Demum argentum vivum prius defæcatum agitatione & maceratione in aceto albo facta; poſtmodum trànſcolatione duplici vel triplici facta, per pãnum denſum vel corium comprimendo, ut quicquid terrei vel plũbei ineſt, auferatur, extinctumq; cum ſaliva humana una cum terebinthina, Styrace liquida, oleo laurino, & de ſpica commixtum & incorporatum, conjicies ac ſubiges, magdaleoneſque finges. Cæterum, antequam hanc aggrediatur Pharmacopola emplaſtri compoſitionem, debet diligenter animadvertere, ut olea pellucida habeat, pariterque pinguedines unum diem vetuſtate non excedentes: alii vetuſtiſſimas pinguedines accipiunt pro ſcopo compoſitionis. Præterea modus ab authore ſcriptus, minime approbãdus mihi videtur, cum vult axungias ſeu pinguedines, Thus, Euphorbium cum cæteris aliis ſimul concoqui. Nam ſi ita fieret, totum medicamentum coctione corrumperetur. Quædam enim longiori, alia breviori coctione indigent. Quare conſulerem ſecundum modum à nobis deſcriptum

ptum

ptum potius faciendum esse, quam secundũm alium modũ ab authore descriptum.

Ping. porcinæ.

Ping. vituli.

Ping. viperæ.]

Hæ autem duæ primæ *a* pinguedines sumi ex animalibus vigente autumno debent, cum per hoc tempus animalia sint graciliora & præcipue circa renes. Sed viperina, finiente vere, nondum tamen æstate inchoata, & maxime circa zirbum, *b* id est, circa intestina. Debentque quoque in hunc modum præparari. In largiori aquæ *c* frigidissimæ copia, tunicis exemptis, convenit pinguedines confricari, deinde firmiter expressas siccari, subindeque alia recenti aqua lavari & exsiccari, ut prius: hæcque ablutio debet ter aut quater repeti, semper abjiciendo aquam & aliam innovando, donec ultima aqua conspiciatur syncera & nitida. Deinde eas oportebit in minutissimas partes dividere, & vase duplici liquefacere, spatula lignea aliquoties agitando: eliquatas colo transfundere in aquam, donec frigescant: quibus refrigeratis, aqua lente & gut-

a *Quo tempore accipiendæ sunt Pinguedines, axungiæ & adipes ex animalibus.* b *Zirbus quid.* c *Pinguedinum seu axungiarum & adipum præparatio.*

& guttatim injicienda, & in idem vas alia infundenda, ut leviter iterum eluantur, unde manu cōprimi debēt, quo facilius fæculentum virus pessum eat. Posthæc in pilam spongia nitida madefactã transfundantur, ubi coire cæperint, residētes in imo sordes eximantur. Cæterū alii sine aqua eliquant, & absque duplici vase, ut magis durent, eo quod illarum humiditas superflua liquefactione ista magis tollitur, quam si in duplici vase liquescerent. *a* Eliquatas vero, & ita paratas fictili optime clauso, loco frigidissimo reponnnt: alii in ædibus siccis, & editis plane humoris expertibus, cum foliis lauri aridis sive juglādis involucro, sive in nova charta condunt. Sic etiam cæteræ pinguedines, & axungiæ sunt parandæ & reponendæ. Sunt autem permulti qui in harum præparatione & ablutione, salem in aquam conjiciunt, postea iterum in alia aqua sine sale abluunt, idque faciunt, ut mutetur odor axungiarum & adipum, ac insipidæ remaneant. Nonnulli, dum eas recondūt, iterum aliquid salis aut sacchari (secundum authoritatem luminaris majoris, in descriptione unguenti pectoralis) admiscent, ne putrescant aut rancidæ fiant. Porro autem siquis quærat possitne ali-

a Pingued. seu axung. & adipum, repositio.

quod discrimen reperiri inter *a* pinguedinem, & adipem, paucis respondebimus dicentes: *b* pinguedinem liquidiorem esse, quæ si semel dissolvatur, non facile, ubi liquata vel dissoluta fuerit, concrescit ac cogitur. Fit autem à sanguinis parte magis oleosa, estque maxime particeps igneæ & aëreæ substantiæ, & aquæ minime. Dum enim liquescit nullum crepitum edit, & in locis calidis animalium quæ utrinque dentata sunt, & cornibus carent, ut in hominibus, suibus, canibus, ursis, & ejusdem generis pluribus gignitur. *c* Adeps vero crassior est, magisque terrestris substantiæ: nam si calore dissolvatur, vel fundatur, statim concrescit, celerrimeque coit, ac conglaciatur, multumque apparet pinguedine durior: & dum liquescit, crepitat. *d* Gignitur autem maxime in partibus minus calidis, & in animalibus, quibus cornua insunt, & dentes in superiori mandibula deficiunt: cujusmodi habentur boves, capræ, cervi, & arietes, & hujusmodi plura. Sed (ut verum fateamur) in quacunque parte gignatur pinguedo, & adeps, à frigiditate coalescere videtur. Hæc autem

a *Pinguedo seu axungia quid.* b *Pinguedinis seu axungiæ ortgo.* c *Adeps quid.* d *Adipis orige.*

tem nomina sæpissime apud probatos authores confunduntur.

RANAS VIVENTES.] Quas Ranas intelligat non exponit author. Sunt enim varii generis ranæ: sed rubetæ tamen videntur accipiendæ, cum Galenus, lib. 7. de composit. medicam. secund. gen. capit. 12. & reliqui medici in acopis parandis eas potius elegerint. Sed si non habeantur majores ranæ, quas ipse Galenus rubetas vocat: quæ in paludibus & aquosis scrobibus degunt, accipiendæ sunt. Et licet quæ in frutetis, sepibus & rubis degunt, videantur rejiciendæ, quia lethiferæ sunt & venenatæ, secundum Dioscoridis mentem: quia tamen agitur hic de medicamento externo, non interno, nihil prohibet secundum Galeni mentem eas eligere.

LITHARGYRII AVRI.] Lithargyrium nostrum usitatum probatur foliatū, colore aureum, debetque à plumbo & scoria purgari, antequam aliquod emplastrum ingrediatur. Quod facile præstare poteris, si subtilissime in mortario, pistillo friando ipsum contundas, deinde aquam desuper infundas, & tunc quod fæculentum erit, cum aqua in aliquod vas conjicias: denique id quod in mortario remanet

manet alia aqua infusa, eaque vehementissime agitata, cumque turbulenta extiterit, cum præcedenti in idem vas refuderis, idque toties factitaveris, donec videas plumbum solum & fœces in mortario subsidere, omnemque subtiliorem substantiam, cum aqua assumptam esse, quam quiescere permittes, quousque subsidere videas lithargyrium, ac tum demum aquam guttatim effuderis & pulverem lithargyrii in fundo subsidentem acceperis, eumque paulatim & pedetentim super marmore duxeris, donec ita lævigatum sentias, ut si eum manibus & digitis tractes, aut linguæ imponas, nullam prorsus asperitatem percipias. Atque ita parato lithargyro trito, uti poteris in Emplastris & Vnguentis. Galenus de composit. medicament. per genera in lotione lithargyrii, lavat illud secundum scopum & effectum necessarium: videlicet si scopus sit desiccare, & non mordicare, licet illud cum aqua fontana æstate, diebus canicularibus lavare: si vero vis desiccare & mordicare, cum vino aut aceto: aliquando cum aqua maris Galenus id lavat. Sic autem & cætera metalla, aut mineralia, quæ in Emplastris & Vnguentis apponuntur, ante usum debent lavari in liquore proprio secun-

ſecundum ſcopum compoſitionis, & lævigari. Sunt qui aliam rationem habent lithargyrii preparandi. Sed hæc mihi facilior & uſitatior videtur. Quod ſi plura expetas ad lithargyrii præparationem, lege Meſuen lib. Servitoris.

Cæterum notabit Pharmacopola cùm *a* ſimpliciter in deſcriptionibus Emplaſtrorum, & Vnguentorum leget lithargyrium, aureum eſſe intelligendum, non quòd fiat ex auro, ſed quia auri colorem referat. Quid autem ſit, & de generibus & illius electione, & uſtione iufra dicemus: in Sectione 2. de unguentis capit. 2.

VIRES A QVIBVSDAM MEDICIS deſcripta cum paratur ſine Mercurio.

Emollit in cætera non ſine magna digerendi vi cum manifeſto calore puſtulas ſæpe movendo.

VIRES CVM MERCVRIO.

Eaſdem vires habet: præterea malignam qualitatem in morbis oppugnat & fugat ob mercurium.

B 3 CAPVT

a *Lithargyrium cum ſimpliciter invenitur ſcriptum quid.*

CAPUT III.

Ceratum Oesypi ex Philagrio, repertum XI. distinctione apud Mesuen de Unguentis, & Emplastris. Usuale.

Textus Mesuæ veri pars media:

℞. Croci. ʒ ij. ß.

Bdellii.

Masticles.

Ammoniaci.

Aloes.

a Styracis liquidæ. ana ʒ iij. ß.

b Ceræ citrinæ. ℔ . ß.

Terebinthinæ. ʒ vj.

Medullæ cruris vaccæ.

Adipis

a Alii ana drach. iiij. legunt.

b Ceram citrinam & acrimonia carentem hoc loco intellige, qualis est cera alba pontica sponte producta cujus loco nostra alba factitia utendũ.

Adipis anſeris. ana ℨ vij. ß.

c Oeſypi humidæ. ℥ ix.

d Olei nardini quantum ſuff.

Bdellium, ammoniacum, & aloë diſſolvantur in aqua infuſionis fœnug. & chamæmeli, & cum cæteris fiat unguentum, & poſt Philagrium addiderunt.

Expreſſionis ſcyllæ. ℥ j. ß.

Olibani. ℥. ß.

Sepi vitulini. ℨ vij. ß.

Et in alio.

Ceræ ℔. ß. *e* minus quarta.

Et eſt conveniens.

c *Si deficiat Oeſypus axungiam gallinæ ſumere debemus. Galeno authore.*

d *Oleum nardinum intellige illud quod Meſues deſcripſit: & per quantum ſufficit intellige quantum ſatis erit ad magdaleones formandos.*

e *Hoc eſt ceræ unc. iij. ſem.*

SCHOLIA.

Esypum, sepum, adipem, & medullam in lebete ad dissolvendum igni lento appones, spatula lignea semper agitando: mox ceram concisam: quibus omnibus liquatis solutisque, & ab igne depositis, & refrigeratis, accipe ammoniacum dissolutum in semiuncia aquæ infusionis fœnug. non contusi & chamæmeli, & uncia una & semisse succi scyllæ. Decoque ad humoris consumptionem, deinde illud ammoniacum sic paratum cum terebinthina, & styrace liquida misceatur, qua optimè mixta & incorporata, projice in lebetem cum prædictis celeriter spatula lignea movendo. Posthæc bdellium tenuissime pulverisatum injice, si siccum sit: si vero molle fuerit? cum ammoniaco in pauca quantitate infusionis fœnugr. & chamæmeli (perinde ut ante in ammoniaco) solvatur. Paulo post olibanum, mastichen, aloen, separatim in pulverem tenuissimum redacta, & croci demum pulverem conjice: totumque conjunctum & probe mixtum in magdaleones cum oleo nardino efformabis. Quod si hæc massa non habeat

habeat consistantiam cerati duri, & videatur mollior quàm par sit, liquabis ℥ iiij. ß. ceræ: quam liquatam cum prædicta massa conjunges ac subiges.

In hoc cavendum est ne fœnugr. nimium maceretur infusione: nam si diu infunderetur nullam infusionem haberes, sed potius mucaginem: ob id diligenter animadvertat Pharmacopœus, modicam ut faciat infusionem: quamquam tamen si alius esset liquor in quo dissolvi possent quæ dissolvenda præcipit author, melius esset muccaginem fœnugr. extrahere ad scopum emplastri consequendum.

MEDULLÆ CRURIS VACCÆ.] Colligenda sunt *a* Ossa recentia cruris vaccæ in fine æstatis & plenilunio, ne eis sanguinis aliqua insit superfluitas: quamquam alii neglecto collectionis tempore, genus, ætatem, colorem, magis observant: plurimum enim interesse, quo cælo qua regione nata, aut educata: sit ne item vetula, juvenca, an adulta: quo itidem sit colore (nam ex eo temperaturam licet conjicere) fulvo scilicet, nigro, an albo existant. Sunt autem ossa frangenda ad medullam habendam (potest etiam extrahi

 medulla

a *Ossa crurum vaccæ quo tempore sint colligenda ad medullas extrahendas.*

medulla *a* ex ſpina, quæ durior & ſiccior eſt, quam alia) quam purgabis à ſanguine ſuperfluo (ſi adſit) & in aqua frigida, & limpida, ter aut quater lavabis, aquam ſemper mutando Deinde ponatur in fictili ſine aqua ſub dio ut liquefiat, vel in vaſe duplici aut cineribus calidis: & quod liquatum erit, ſenſim linteolo tranſcolando effundatur in vas aliud, & optime cooperiatur, & uſui ſervetur, in loco temperate frigido. Sicque omnes aliæ medullæ præparandæ & reponendæ.

Cæterum (ut verum fatear) recentibus præparatis utendum eſt potius, quam diu conſervatis, propter rancorem.

ADIPIS ANSERIS.] *b* Satis copioſe diximus in præcedenti capite, de origine, extractione, præparatione adipis. Differt autem adeps, à ſepo ceu ſevo, ratione majoris, aut minoris. Nam adeps in mediocribus animalibus ſumitur: Sepum in ſiccioribus. Axungia ceu pinguedo in humidioribus.

OESYPI HUMIDÆ.] *c* Oeſypus lanarum ovium ſuccidarum eſt pinguedo. Dioſc. cap. 7. lib. 2. Modus autem eam præ-

a *Medullarum extractio, liquatio & repoſitio.*
b *Adeps, Sepum, axungia ceu pinguedo quomodo differant.* c *Oeſypus humida quid.*

præparandi talis eſt. Lanæ ſuccidæ ut ab ovibus, & arietibus, ſumuntur è collo, fœminibus, & femoribus ovium. *a* Harum accipe libras circiter 60. vel quavis ſatis magna quantitate: & ferventi aqua octo horarum ſpatio macera, agitando, & commiſcendo, ſpatula vel baculo rudi: deinde fac ferveſcere, donec omnem ſuam pinguedinem in aquam depoſuerint. *b* Deinde lanam fortiter expreſſam à decoctione remove: Tunc aquam pinguem & forditie lanarum imbutam ex alto infundito in aliud vas, multoties iterando donec ſpumeſcat: tum ſpumam ſinito ſubſidere, & aquæ innatantem pinguedinem collige, itérumque lana in aqua exagitetur donec rurſus ſpumeſcat, tum ſpumam ceu pingued. colligito: illudque tandiu facito, donec aqua amplius non ſpumeſcat, ſemper colligendo ſpumam, ceu pinguedinem, collectam vero in aqua pura tandiu lavato, & manibus agitato, donec perluceat & linguæ admota nihil mordax habeat, ſed *c* parum aſtringat. Quibus peractis pinguedinem in fictili denſo, loco frigido, ad uſum reponito. Sed hæc omnia

a *Oeſypi conficiendi modus.* b *Oeſypi ablutio.* c *Oeſypi abluti verum iudicium & repoſitio.*

fieri debent fervido & æſtuante ſole. Servitor, *a* & Præpoſitus in præparando addunt parum aquæ marinæ, ut aqua magis ſpumeſcat.

VIRES A MESVE DENVNTIATÆ.

Ad dolorem ſplenis, ſtomachi, & hepatis & duritiem in eis, & dolorem matricum, & apoſtemata, in eis linitum exterius, vel etiam ſuper poſitum in lana exceptum, valet ad duritiés, & nodoſitates quæ ſunt in juncturis.

CAPVT IV.

Ceratum Galeni infrigidans lib. 10. meth. cap. 9. lib. 1. de Simpl. medicament. facultate capit. 5. & lib. 5. de Sanitate tuenda quod ſcribitur à Meſue in XI. *diſtinctione de Vnguentis & Emplaſtris Vſuale.*

Textus verus Meſuæ.

a ℞. Ceræ albæ, ℥j.

a Ceram intelligit author Ponticam naturaliter albam, quæ ſine acrimonia eſt, vel Cyrenaicam artificio dealbatam & acrimonia ſpoliatam.

b *Oleum*

a [illegible] quo tempore debet fieri & [illegible].

b *Oleum rosatum crudum ceu immaturum ac omphacinum intellige radixq; olei rosati, multoties lavetur antequam rosas recipiat, sitq; oleum crudum.*

c *Per quantum sufficit, Mesues intelligit quantum suscipere potest aquam ad refrigerium.*

d *Acetum naturaliter album accipe non autem distillatum.*

b Olei rosati. ℥ iiij.

Et fit radix olei oleum omphacinũ aquæ fontium claræ & propriè vehementis frigoris *c* quãtum sufficit. Oleum multoties & bene lavetur, lavationibus pluribus & quo magis elaboratur in lavando, fit excellentius. Vltimo vero conquassetur cum *d* aceto albo claro & pauco.

SCHOLIA.

IN diplomate ceram frustratim divisam, una cum oleo rosato, facto ex olivis immaturis, & rosis minime expensis, aqua frigidissima pluribus vicibus antequam rosas recipiat loto (quonam pacto lavari debeat lege infra in Sectione 3. capite 3.) lique-

liquefac, ut unum corpus sumant. Totum liquatum refrigerare permitte in vase aquæ frigidissimæ pleno: refrigeratum in mortario marmoreo, cum aquæ fontanæ, paulatim affusæ, tanta copia, quam in sedum mollitur, ac subigitur, admittere potest, tere & agita: in fine vero parum raceti albi & clari ad ℥ ß. admisce: eoque cente r parato utere, ne vetustate calorem acquirat. Attendant autem Pharmacopœi, cum hoc ceratum ægrotis apponunt, ne id supra corpus dimittant tandiu donec calefiat: (ut docet Galenus lib. 11. meth. nisi aliter imperetur à Medicis, propter causas certas) sed continuo mutent: quod pauci hoc tempore advertunt.

VIRES A MESVE SCRIPTÆ.

Valet ad febres acutas, & sodam calidam pulsativam.

CAPVT V.

Emplastrum diachylon parvum Mesuæ, XI. distinctione de Vnguentis & Emplastris Vsuale.

Mesuæ textus verus.

a *Lithargyrium aureum ac præparatum secundum scopum intellige.*

a ♃. Lithargyrii. ℥ vj.

b *Oleum*

b *Oleum olivarum insulsum accipe sufficiuntque unc. XI. pro quantita te lithargyrii, ut sæpissime expertus sum, tamen Galenus vult tantum olei adhiberi videlicet, lib. I. pro lib. se. Lithargyrii.*

c *Per radicem maluæ, altheæ radicē intellige.*

b Olei veteris clari. ℔.j.

Mucag. psyllii. ℥ iiij.

Mucag. hyoscyami. ℥j ß.

Mucag. lini seminis.

Mucag. *c* radicis maluæ. ana. ℥ ij.

Cujus operatio est sicut operatio alterius. hoc est qui antecedit, in lib. Mesuæ.

SCHOLIA.

SIc emplastrum conficies. Accipe lithargyrium tritum, & præparatum, ut in præcedenti emplastro Ioannis de Vigo docuimus, misce cum oleo prædicto in vase æreo, agitando spatio xij. horarum ad minus: deinde igni lento exponatur, eousque dum coctione perveniat ad mellis crassitiem, & fundo vasis non adhæreat: hoc enim signum est incorporationis. Tunc

Tunc ab igne auferes, & mucaginum prædictarum, ſeminum & radicum, ſeparatim factarum, & coctarum, ſimul mixtarum, partem aliquam, nempe ℥ iij. in lithargyrium injicies, ac quam celerrime ſpatula agitabis, quouſque ſubſideant: iterumque igni expones, donec ea injecta mucaginum quantitas conſumpta videatur: deinde ut prius, reliquum mucaginum conjicies, ab igne agitando: poſtea ad decentem conſiſtentiam concoques, donec bullare & ſubſidere lithargyrium conſpias, quod ſignum eſt perfectæ concoctionis: deinde refrigeſcere permittes. Demum ℥ .ˀduarum magdaleones conficies, & loco convenienti reſervabis. Quamquam tamen nonnullis videretur ad uſum & ſcopum dicti emplaſtri emollientis, ſi tota mucago non abſorbeatur coctione: nihilominus ne manente mucagine humidius reddatur emplaſtrũ, & putredini obnoxium, ideo voluit author integram earum conſumptionem. Addit Galenus lib.1. ſecundum genera. initio emplaſtri aliquid aquæ claræ cum lithargyrio, antequam coquatur: vultque emplaſtra alba fieri in loco claro, aperto, ſoleque radiante: nam aër obſcurus reddit emplaſtrum nigrum, ſed luci-

lucidus & clarus maxime juvat ad albedinem: proportio autem aquæ & olei par erit, hoc est, si sint lithargyrij ℥ vj. olei ℥ ix. totidem aquæ erunt sumendæ.

Mucag. psyllij.
Mucag. hyoscyamj.
Mucag. linj.
Mucag. radicis maluæ.]

Mucagines ut conficias, sic est operandum. a Semina omnia exquisite eliges, separatimque ponderabis, ac leviter conteres dempto semine psylij, lini, & fœnugr. quæ nunquam conteri debent, nisi à medicis præscribantur, quia absque contritione mucaginem viscosum etiam cumulate reddũt: radices vero omnes electas & à terra repurgatas minutim conscindes ac in mortario lapideo cum pistillo ligneo ad invicem conteres, per seque in fictilibus vasis spatio duorum vel trium dierum super ignem lentum aut potius super cineres calidos in quantitate sufficienti aquæ tepidæ macerari permittes, aliquando tamen spatula lignea movendo ne fictilibus inter macerandum & coquendum adhæreant, sumendo videlicet pro una libra seminum aut radicum, aquæ tepidæ libras iiij. (non desunt

a *Mucaginum ab omnibus seminibus & radicibus vera extractio.*

desunt tamen qui mucagines quo sint magis viscosæ, libram unam & semissem seminum aut radicum sumant) deinde maceratione facta si tibi fortasse haud satis viscosæ & coctæ videantur, adhuc eodem igne coquédas relinques donec perfectam coctioné fuerint assequutæ. *a* Signum auté perfectæ & absolutæ coctionis erit, cũ aqua in seminibus & radicibus ipsis macerata non amplius aquæ, sed viscositatis illius, ut albuminis ovi retinuerit, aut paulo plus: quinetiam si prædictæ macerationis pars frigido marmori velut in declivi imposita lente & crasse defluat, tum veræ & perfectæ coctionis earum indicia habebis: deinde coctione peracta intorquendo per se exprimi debent, quibus postea cum volueris tuto poteris uti. Ad mucaginem autem in hoc emplastro conficiendam, volui quantitatem seminum, radicum, & aquæ describere, ne tironibus aut in arte parum versatis erroris occasionem præberem: sumenda autem erit uncia una seminis psylii, ad uncias quatuor aquæ vel ad summum sex; seminis hioscyami ʒ. iij. aquæ ℥ j ß. seminis lini & radicis maluæ sylvestris ana

a *Mucaginum maceratarum aut coctarum verum indicium.*

ana ℥ ß. aquæ vero ℥ iiij. Alij mucaginibus factis ex feminibus fœnugræci, lini, radicibus maluæ agreftis, feu ibifci mucagines in hoc parando emplaftro utuntur, fed id fit propter diverfitates morborum. Verum hæc noftra defcriptio, quæ in ufu quotidiano eft, recipit mucaginem factam ex femine pfylij: fed in mucagine pfyllij conficienda, minime femen contundi debet, ut paulo ante dictum eft, cum medulla fit calida, & cortex frigidus, unde calidam, & frigidam fortitur facultatem ac qualitatem fecundum Mefuæ mentem. Itaque cum in hoc non defideretur calefaciendi, fed tantum molliendi cum levi refrigeratione facultas, conteri minime debet, neque diu multo calore macerari, nec fortiter exprimi, ne fubftantia calida foras extrahatur.

Cæterum in hoc emplaftro conficiendo cavendum, ne ignis vehementior fiat initio coctionis lithargyrij, ne compofitio nigrefcat aduftione: fed ignis augeri debet pro induftrii pharmacopœi fententia, ubi prima peracta eft concoctio. Hoc præterea notandum, *a* femen pfyllij intelligendum ubi fimpliciter pfyllium legitur fine aliqua additione.

VIRES

a *Pfyllium, cum fimpliciter fcribitur quid,*

VIRES A MESVE PROBATÆ.

Tumores calidos digerit & maturat.

CAPVT VI.

Emplastrum diachylon magnum expertum, Mesuæ in XI. *distinctione de unguentis & emplastris Vsuale.*

Vera Mesuæ descriptio.

a *Lithargyrium aureum author intelligit: sed Galenus secundum varias intētiones hoc vel aliud eligit.*

b *Oleum chamæmelinum irinum, & anethinum ex mesuæ descriptione accipiendum.*

a ℞. Lithargyrii mundi triti & cribellati ℥ xij.

b Olei Irini.

Olei Chamæmelini.

Olei Anethini. ana. ℥ viij.

Mucag. seminis lini.

Mucag. ficuum Ping.

Mucag. passularum.

Mucag.

Mucag. seminis fœnugræci.

Succi ireos radicis.

Succi Scyllæ.

Glutinis alchannæ.

Oesypi humidæ. ana. ʒxij.

Terebinthinæ. ℥iij.

Resinæ pini.

Ceræ Citrinæ. ana. ℥ ij.

Conficiatur sicut diximus, hoc est, tali modo quo usi sumus præcedenti, istud conficiatur.

SCOLIA.

DEbet lithargyrium præparari, ut in prædictis emplastris monuimu. Nam cum præparatum ac coctum cum oleis fuerit, in id paulatim mucagines conjicies seminis lini,

ni, fœnugræci, ficuum, & passularum separatim & arte factus: quibus concoctis & cum lithargyrio consumptis, statim succum ireos & Scyllæ injicies & ad horum consumptionem decoques. Posthæc gluten Alchannæ dissolutum, eo quo præscribemus modo, immittes: quod cum primum coctum & consumptum fuerit, cera minutim incisa injicienda erit, quæ postquam liquata fuerit, resinam pini confractam addes: qua liquata totum ab igne depones, & statim Terebinthinam, paulo post œsypum admiscebis, ex eaque massa frigida magdaleones ad usum conficies.

Mucag. ficuum Ping.

Mucag. passularum.]

Ficus & passulæ raras mucagines faciunt: sed quia earum decoctio, inspissata, ad formam syrei, hoc est, sapæ, mucaginis consistentiam obtinens, vim habet emolliendi, secundum scopum emplastri, ideo cum mucaginibus & succis lentis voluit author remisceri.

Succi scyllæ.]

Scylla debet [a] eligi sufficientis magnitudinis, non admodum magnæ, & enormis, bene habita, & nutrita, alba, & recenter ex terra desumpta, cum caulis & folia exacte arue-

[a] *Scyllæ electio ac collectio.*

aruerint. Mesues illam cæteris præfert de Simpl. lib. 2. cap. 6. quæ *a* est saporis dulcis, acri, & amari, squammis depurgata, in loco libero prope alias educata. Cum igitur triplices ei sapores assignet Mesues, vult illam triplici constare substãtia, aërea scilicet, terrestri, & ignea: ab aërea dulcē, à terrestri propter adustionem amaram, ab ignea, quæ maxime in superficie est, acrem qualitatem habere, ex illa autem succus in hunc modum extrahitur.

Scyllam, *b* qualem jam descripsimus electam accipe, eamque cultello ligneo, vel eburneo, corticibus purgatam, & incisam, in mortario lapideo, pistillo ligneo fortiter contere, non ferreo, ut annotat Sylvius in illius præparatione: ubi optime contusa fuerit, in vase fictili clausa argillaque circumlita, in clibano modice calido, spatio sex horarum reponatur, ut maxime caleat: posthæc in forti panno calido exprimatur. Verum non desunt qui ad succi scyllæ præparationem diversis modis utuntur. At hæc ratio à nobis præscripta, cæteris facilior ac præstantior existit. Ex unica autem succus supererit, qui ad hanc confectionem sufficiet.

Glu-

a *In scylla tres sapores.* b *Succi scyllæ extractio.*

Glutinis alchannæ.]

Conficitur *a* gluten alchannæ ſic. Accipe alchannam, ſeu Icthyocollam, hoc eſt, cetacei ventrem, candidam, natione ponticam, ſubaſperam, minime ſcabram, & quæ celerrime liqueſcit (hæc Dioſcorid. lib.3. capit.86.) eamque *b* in minutiſſimas partes divide, & in novo fictili repone, & deſuper aquam claram infunde donec vas impleatur pro ratione icthyocollæ, diuque calide macerari ſinito ante coctionem, nam non aliter diſſolveretur, deinde igni lento coquatur eouſque dum in cremorem abierit, & cum refrigeratum fuerit, ad ſimilitudinem pultis conſpicietur.

Animadvertite porro Meſuen in hoc emplaſtro reſinam pini expetere, & eam intelligere, quæ è pino ſponte fluit, quæ quidem apud Præpoſitum raſa appellatur. Probatur autem ponderoſiſſima & picoſiſſima, verum de his *c* reſinarum differentiis, ſatis abunde in ſequenti capite dicetur. Præterea maxime obſervandum cum mucagines injicientur, tum enim lithargyrus ab igne auferri debet, quod maxime notan-

a *Gluten alchannæ ſeu Icthyocolla quid.* b *Glutinis alchannæ ceu Icthyocollæ diſſolutio.* c *Per raſam intellige non coctam, neque carpinatam, ſed raſam ab arbore ubi paulatim è lacrymatione concrevit.*

notandum, ne repentino novarum rerum contactu exundet.

VIRES A MESVE NOTATÆ.

Ad resolvendum & ad maturationem omnis duritiei, & inflationis expertum.

CAPVT VII.

Emplastrum Gratia dei, Præpositi in 6. particula lib. 2. Vsuale.

Verus Præpositi textus.

℞. Terebinthinæ. ℔. ß.

Resinæ, ℔. j.

a Ceræ albæ. ℥ iiij.

Mastiches. ℥ j.

Foliorum verbenæ.

Foliorum betonicæ.

Foliorum pimpinellæ.

ana. M. j.

a *Ceram naturaliter albam intelligit author, quæ sine acrimonia est vel Cerenaicam artificio dealbatam, & acrimonia spoliatam.*

C b *Vi-*

b *Vinum rubrum odoratissimum intellige, ratio infra in modo conficiendi dicetur.*

Herbæ pistentur, & in *b* vino forti bulliant usque ad consumptionem tertiæ partis: colentur, & inde substantia herbarum abjiciatur, & cera, resina, & mastiche cum colatura ponantur, necnon bulliant agitando, donec optime incorporentur: tunc deponantur ab igne, & addatur terebinthina totumque agitetur cum spatula, & fiat emplastrum.

SCHOLIA.

Virides herbæ præscriptæ & præcipue earum summates, loco temporeque convenienti, legi debent, nec lavari: deinde incidi, & in mortario lapideo, pistillo ligneo contundi. Posthæc in vino rubro quam optimo & odorifero (eo quod vulneribus & ulceribus magis convenit, quo Hyppocrates in lib. de vulneribus & fracturis frequen-

quenter utitur, & Galenus in lib. ſecund. gen. in coctione herbarum emplaſtra ingredientium) quantitate *a* ſufficienti ad partis tertiæ conſumptiōnem decoqui: quæ cum decoctæ fuerint, parumper infundi permitte, ut tota facultas cum vino, in quo decoctæ fuerint, remaneat. Deinde adhuc calidæ colentur, maſſaque herbarum abjiciatur. In colatum ceram minutim inciſam adjicies, & una cum decoctione concoques igne lento, ſpatula aſſidue movendo, ad humidi vel colati conſumptionem: qua humiditate exhauſta, reſinam cofractam, ut liqueſcat cito addes: qua liquata, & ab igne ſemota, terebinthinam, ut diſſolvatur, admiſcebis, cumque omnino tepuerit, & refrigeratum fuerit, maſtichen quam tenuiſſime pulveriſatam deſuper inſperges, manibus tractando. Hac enim methodo fortior erit ipſius emplaſtri operatio, neque coctione corrumpetur, cum ordo ſimplicium decoctionis diligēter obſervatus fuerit: quod Præpoſitus non advertit. Proinde maximo ingenio, ſummaque induſtria uti debemus in hujus emplaſtri confectione, ut veram & legitimam inveniamus methodum. Hic etenim modus à Præpoſito confu-

a *Per quantitatem ſufficientem intellige lib. 6.*

ſus (pace tanti viri dixerim) nobis videtur. Vult ſiquidem ceram, maſtichen, reſinam, terebinthinam omneſque herbas ſine diſtinctione poni & ordinis nota, quod ſane abſurdum videtur. Novit profecto Præpoſitus terebinthinam, reſinam, & maſtichen nullam penitus ſuſtinere decoctionem propter eſſentiæ tenuitatem: ceram vero majorem propter ſuæ ſubſtantiæ craſſitiem. Quare quantum in nobis ſitum fuit, voluimus verum conficiendi modum hic deſcribere, ne medicamentum ita coctum corrumpatur, & illius operationis proprietas minuatur.

Reſinæ.]

Reſina, *a* ex veterum Theophraſti & Plinii opinione, eſt humor qui ſponte profluit è terebintho arbore, vel è pino, piceoque, vel ex abiete. *b* Reſina autem, quæ è terebintho profluit, duplex eſt. Una, quæ ſponte provenit, & ſolis calore condenſatur, eaque vera eſt reſina, à nobiſque pharmacopeis colophonia vera appellatur, *c* Probatur autem odoratiſſima, lucida, non torrida, neque *d* diluta, friabilis & calculorum expers: eaque ſumenda

a *Reſina vera quid.* b *Reſina quæ è terebintho fluit duplex.* c *Reſina vera electio.* d *Reſina ſimpliciter quid.*

menda est, ubi simpliciter legitur, *a* Altera vero quæ similiter sponte effluit è terebintho, & undiquaque spargitur, quam sol non attingit: eaque vera terebinthina dicitur. *b* Laudatur alba, vel cœrulea, perlucida, odore terebinthinam referens, colore vitreo. *c* Cumque simpliciter terebinthina apud authores scribitur, ea est sumenda. Cæterum resina illa, quæ ad nos quotidie defertur ex abietibus, pinis, piceisque arboribus liquida provenit, quæ maxime decoquitur, & à Præposito rasa nominatur, nihilque differt a colophonia nostra desiccata: cum solum differant terebinthina, resina, & colophonia usitata ratione decoctionis: quia diversis modis & arte coquuntur. *d* Quod si deficiat vera resina, terebinthinam veram à terebintho arbore petitam, lariceam, vel lentiscinam accipere possumus. De quarum coctura lege Dioscoridem capit. 75. lib. 1. & Galenum lib. 8. de simpl. medicament. facultatibus, pariter Plinium lib. 7. capit. 3. & alios, qui de simplicibus scripserunt. Ad hæc quamvis terebinthus, picea, pinus, C 3 abies,

a *Terebinthina vera quid.* b *Terebinthinæ veræ electio.* c *Terebinthina simpliciter quid.* d *Terebinthina, resina, & colophonia, usitata solum ratione coctionis differunt.*

abies, & aliæ quædam arbores, resinas quęque omnes, cum pingues liquidasve, tum etiam siccas atque exoletas (suo tamen unamquanque ordine & successu) proferant: tamen in pinguium seu liquidarum genere, ea præcipua esse videtur, quæ colophonia appellatur, ac aliæ quæcunque illi similes: quæ æstate, & autumno leguntur. Inter siccarum exoletarumque vero genera, ea in primis habetur, quæ Galeno pityinon physema vocatur, quæ quod in ipsa arboris germinatione exudet, ea ratione exoleta provenit: qua de re vide Matheol. epist. lib. 1. ubi agit de resinis. Cæterum, quia colophoniam modo in siccis, modo in liquidis resinis numeravimus: id ut sane intelligat lector, hæc mea est sententia. Ea quæ à pharmacopeis vera colophonia dicitur, sicca nimirum & dura priusquam solis calore excocta induruerit, liquida sive pinguis, proprie etiam colophonia appellatur.

Ceræ Albæ.]

Hoc in loco ceram naturaliter albam, & ponticam, acrimonia carentem intelligit Præpositus: vel illam quæ ex novis favis separatur, vel quæ præ foribus aut præ spiraculis alveariorum reperitur artificio dealbata & acrimonia spoliata, & ab apiariis,

apiariis, & aliis quibuſdam modernis authoribus cera virginea appellatur. *a* Ab antiquis vero propolis dicitur ea. Probatur autem propolis antiquorum flava, odore ſtyracem referens & in vehementi ariditate mollis, & maſtiches in modum ductilis. *b* Quam ſi habere non poſſumus, utendum erit illa noſtra factitia alba, quæ pluribus lotionibus præparata eſt, *c* & quæ acrimoniam à melle contractam deperdidit, ut Galeno placet lib. 2. ſimpl. capit. 15. Tandem vero inquirendum erit, utrum propolis idem ſit, quod cera virginea alba: quod equidem non puto. *d* Abluitur autem propolis antiquorum, ſeu cera virginea modernorum ſecundum Galenum loco prius citato, hunc in modum. Primum modice calefactam ceram in aquam puriſſimam modice calidam infundito: deinde conterito, tundito, frangito, manibuſque impenſe ſubigito, deinde ceram refrigerato, cum priori aqua effuſa rurſum calefacito, & in aliam aquam calidam atque ſinceram injicito, rurſumque diutiſſime contundito, donec acrem qualitatem ſuam in aqua depoſuerit, quod guſtu cognoſces,

a *Cera virgina modernorum quid.* b *Propolis antiquorum quid.* c *Propolis antiquorum electio.* d *Cera acris ablutio.*

gnosces. Mox vero & tertio, & quarto sæpius idem faciendum, donec aqua ex abluta cera qualitatem mordacem recipiat: ac ita ceram ad usum paratam habebis. In hoc autem medicamine, ac in cæteris quæ vulnera solidant, glutinant, & repurgant, inflammationesque leniunt omnis mordacicatis expers, & quæ ex acri thymosoque melle conficiatur, cera est utendum, teste Galeno 4. simpl. cap. 5. Idcirco eo modo in hoc lavanda est, resina, pix, & oleum (si desiderantur) ut si aliquid in iis mordaciatis sit, auferatur, & præcipue in emplastris, ceratis, & unguentis, quæ hab nt facultatem solidandi & glutinandi.

VIRES A QVIBVSDAM Medicis notatæ.

Vulnera solidat, glutinat, & repurgat, inflammationesque solidat.

CAPVT

CAPVT VIII.

Emplastrum de Ianua, ceu Betonica Præpositi ex vj. particula secundi lib. Vsuale.

Vera Præpositi descriptio.

℞. Succi Betonicæ.

Succi plantaginis.

Succi appii. ana. ℔. j.

a Ceræ.

Picis.

Resinæ.

b Terebinthinæ. ana. ℔. ß.

Fiat Emplastrum.

a *Ceram albam naturaliter, crudam & Ponticam Præpositus intelligit.*

b *Terebinthinam lotam hoc loco accipiendam nōnulli putant: sed quia ad vulnera capitis & nervorum potissimum adhibetur, pura è terebintho & sine lotione usurpari debet, ut nihil ejus virtutis & substantiæ depereat.*

SCHOLIA.

ET si nullam formam, aut methodum, in hoc conficiendo emplastro Præpositus præscripserit: tamen quo hodie sæpissime præparetur modo, secundum omnes fere omnium Pharmacopeos, indicabo. Accipiunt betonicæ, plantaginis, singulorum æquale pondus, apii vero non ad cæterorum proportionem, verum cætera pondere superat omnia. Tundunt deinde cum cera incisa, pice, resina confracta, & terebinthina, in lebetem injiciunt ut simul coquantur, donec nulla supersit humiditas, vel donec herbæ coctione aruerint; quæ cocta dum maxime calent, torquendo exprimunt, & inde magdaleones formant. Hicque modus hodie fere ab omnibus Pharmacopeis approbatur. Qui modus à vero mihi videtur recedere, sed cur ita parant, hæc illorum ratio. Volunt resinam, picem, & terebinthinam colorem viridem retinere, ideo magis expetunt vires quorundam simplicium deperdi, quam ipsum colorem viridem, quod quidem absurdum nō esset, consuleremque ita componi, si modo vis picis,

picis, resinæ, & terebinthinæ non deperderetur: ac si etiam legitima proportio herbarum ad lib.j. succi acciperetur. Quapropter ne pharmacopola ignoret confectionis hujusce emplastri methodū veram, volui verum modum hic præscribere.

Accipe foliorum *a* betonicæ recentium, loco & tempore collectorum, eam quantitatem ex qua possis succi libram unam habere: In mortario lapideo pistillo ligneo tunde: deinde fortiter succum intorquendo extrahe: similiter facies de plantagine, & apio, succum singulorum exprimendo. Quorum succorum non defecatorum accipies singulorum librā unam secundum authoris descriptionem, ceramque minutim concisam cum succis in lebetem conjicies, & igne lento concoques ad humidi *b* consumptionem, dum ex tribus libris, una remaneat. Tunc picem, & resinam confractam, injicies, & concoques ad alteram humidi peremptionem, deinde colabis, ut si aliquid fuerit arenositatis in pice, & resina, auferatur: postea terebinthinam dissolve, omnia simul spatula lignea movendo. Deinde massam finge ex

a *Vera hujusce emplastri conficiendi methodus.*
b *Ad humidi consumptionem ad tertiam partem intellige.*

qua frigefacta magdaleones ad usum formabis. Sed objiciet quispiam hoc emplastrum peccare in colore. quid tum postea, modo vis simplicium tota remaneat in medicamento, & coctione non corrumpatur? In hoc enim non est necessarius color viridis, sed detergendi & desiccandi facultas. Igitur quicumque parare vult emplastrum, nullo modo curare debet quo colore sit, dummodo vires obtineat quas Galenus lib. de composit. medicament. secundum genera vult ipsum obtinere. Cæterum notandum si methodum à nobis præscriptam sequaris, terebinthinæ dosin aliqua ex parte minuendam esse, quod cerati potius quam emplastri formam & consistentiam retineat, sufficientque tantum ℥ ij. si autem veterem conficiendi methodum pharmacopæorum more retinendam putes, terebinthinæ proculdubio dosis nulla ratione erit minuenda quod nimirum coctione crassescat. Adhæc præterea notabis alias valentiores formas à Vigone describi, sub nomine de betonica capite de ulceribus capitis, quæ magis merentur dici de betonica quam præsens emplastrum.

Picis.]

Picis.]

Nicolaus Præpositus hujusce compositionis scriptor, diversam facit picem, à resina eam describendo punctis intermediis, quod maxime notandum est. Idem cum simpliciter picem, & resinam describit, non denotat quam picem, aut quam resinam sumere debeamus cum à diversis arboribus colligantur. Tamen multi Pharmacopolæ in explicatione textus Præpositi, resinam & picem accipiunt pro simplici uno: quod tamen fieri non potest, cum separatim & punctis intermediis præscribantur. Ut igitur his satisfaciamus: qui volunt hanc compositionem aggredi ex descriptione Præpositi, dicam quid sentiam. Sumenda est pix liquida & resina vera. Quid autem sit resina vera, satis superiori capite à nobis explicatum fuit. Nunc quid sit pix liquida breviter dicam & quid de ea apud probatos authores legerim expediam à quibus tamẽ hoc unum oratum velim, ut si quid à me perperam dictum audiant æquo, & benevolo animo ferant. *a* Imprimis itaque notabimus, ubi Præpositus simpliciter & sine additione picem describit, liquidam intelligere, crudam, mollem, tractabilemque, artificio nullo

a Pix simpliciter apud Præpositum quid.

nullo paratam : de qua ſeparatim meminit Galenus lib. 2. de compoſit. medicament. ſecundum genera capit. 20. de viridi emplaſtro Andromachi differens his verbis: liquida tamen diutius perdurat ſicuti colophonia thus redolens, quæ nonnullis ſola vocatur colophonia, odoratu ſuavitatem quandam referens, ſicut abietina, & colore mediocri prædita : *b* illam dico intelligendam eſſe, vel quæ ſponte ex liquoribus pinguiſſimis pini piceæque congregatur alba, quæ à Dioſcoride lib. 1. cap. 78. pix liquida dicitur, probaturque ſplendēs, ſincera, levis : quibus verbis ſubſcribit Præpoſitus lib. 2. capit. 9. ſui diſpenſarii, ubi de medicinis agit analogis, his verbis, Pix quando ſimpliciter ponitur in unguentis maturativis & mundificativis, debet poni pix liquida, & in Unguentis cicatrizativis pix ſicca (ut etiam teſtatur Galenus 8. ſimplicium capit. 50. ubi de pice) quæ eſt colophonia cocta ſive frixa : ut placet Galeno lib. 3. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, ubi de medicamentis nervorum agit : qui de Colophonia cocta, ſive frixa inter ſiccas reſinas peculiariter ſcripſit, ſic inquiens : omnium vero *a* ſicciſſima eſt, quam nonnulli frixam,

a *Picis liquidæ eleg.* b *Pineæ reſinæ tres ſpecies.*

frixam, alii colophoniam vocant. Præterea non eſt ignorandum, reſinarum eſſe tres ſpecies, quæ è pino proveniunt, inter ſe differentes: quarum duæ è caudice manant, tertia vero è nucibus, quas Græci στροβίλους vocant. E caudice manantium, una quidem eſt præſtantiſſima, liquida, mollis, albaque, arboris ramentorum, foliorum, omniſque immunditiei expers, & (ut Galenus inquit) thuris redolens, & ubique ſincera, Colophonia proprie appellata: ac ea eſt de qua inter liquidas meminit Dioſcorides. Altera quam Galenus appellat pityinon phyſema ſordida & retorrida eſt. Quid autem ſit pix liquida miror ipſum Præpoſitum non explicare cum ſæpiſſime in ſuis confectionibus de pice liquida mentionem faciat. Quare equidem cenſerem in hoc emplaſtro (cum quid ſit pix liquida Præpoſiti *a* maxime apud me incertum ſit) ejus loco reſinam pini (quod nos gummi appellamus) accipiendam eſſe, cum ipſa accommoda ſit maxime ad maturandum quod præcipue in hoc emplaſtro requiritur. Demum autem ſint Pharmacopæi ſoliciti reſinam & picem lavare in hoc, antę quam aggrediantur, minime enim, niſi prius laventur, in

a *Picis liquidæ ſuccedaneum in hoc emplaſtro.*

in hac compositione ingredi debent, & præcipue in emplastris, quæ glutinant & solidant, propter illarum acrimoniam & mordacitatem. Quamvis Galenus in libris secundum genera dum compositiones emplastrorum & unguentorum describit, facientium ad ulcera, & vulnera cujuscumque speciei, neque picis, neque resinæ, ablutionis meminit, hæc de pice. Picis autem genera monstrat Theophrastus, lib. 9, capit. 2. Plinius lib 14. capit. 20. & lib. 16. capit. 12. ac sequenti. Columella lib. 12. capitibus 22. 23. 24.

VIRES A MEDICIS DICTATÆ.

Mundificat, & maturat apostemata.

CAPUT IX.

Emplastrum divinum Præpositi ex vj. particula secundi libri Usuale.

Verus textus Præpositi.

℞. Galbani. ℥ j. ʒ ij.

Ammoniaci. ℥ iij. ʒ iij.

a *Lithar-*

Opponacis. ℥ j.

a Lithargyrii. ℔. j. ß.

b Ceræ novæ. ℥ viij.

Olei olivarum. ℔. j. ß.

Olibani. ℥ j. ʒ j.

Mirrhæ. ℥ j. ʒ ij.

Viridis æris. ℥ j.

Bdellii. ℥ ij.

Ariſtolochiæ longæ. ℥ j.

Maſtiches. ℥ j.

Aymentis. ℥ iiij.

Miſce omnia, ut decet.

a *Lithargyrium aureum ſume.*
b *Ceram citrinam accipe.*

SCHO-

SCHOLIA.

Tractetur Lithargyrus optime lævigatus, & agitetur una cum oleo olivarum ſpatio xij. horarum, ut nutriatur, coquaturque lento igne ſpatula lignea ſemper ducendo ad mellis ſpiſſitudinem: deinde ceram minutim inciſam ut liqueſcat immitte: ea liquata, & ab igne depoſita, galbanum à ſordibus, & paleis mundatum, in aceto fortiſſimo ad penetrationem & concoctionem (quia tale emplaſtrum adhibetur ad reſolvenda apoſtemata frigida, & mollificandas durities) quantitate *a* ſufficienti calide imbues, vel nutries, ut placide ſolvantur: pariter ammoniacum, opopanacem, ſeparatim, & calide ut galbanum: quæ imbuta, ſoluta, ac ad humidi non radicalis conſumptionem, lentoque igne cocta, per ſe ſingula colentur, ac ponderentur ſeorſim, & cum terebinthina optime incorporentur: denique in lithargyrium, prius paratum modiceque calidum injicies: his cummixtis arida ſimplicia, ſingu-

a *Per quantitatem ſufficientem intellige duplum vel triplum.*

singulari opera collecta, & tenuissime singula separatim lævigata, cribrata, ac ponderata, ordine medicamento ita parato immiscebis, ut magnetem ductum super porphyrio molula ex porphyrio, pauco aceto, vel vino asperso, ne pulvisculus evolet, & ut melius ducatur; paulo post aristolochiam, postea olibanum, mirrham, bdellium si siccum sit; si vero molle, infundatur ut galbanum & consimilia : ultimo mastichen injicies, denique viride æris: hac enim methodo emplastrum artificiose confectum habebis. Sunt qui viride æris, postquam lithargyrus coctus est, injiciunt, rursusque coquunt ut rubedinem acquirat emplastrum.

Galbani
Amoniaci
Opopanacis.]

Quonam pacto imbuatur ac solvatur galbanum, ac cætera alia gummi genera, quæ dissolvi possunt, aperte docuimus initio hujusce capituli: hacque methodo alia gummi genera, galbano similia, solvuntur & præparantur; ut ammoniacum, opopanax, sagapenum, assa fœtida, bdellium si molle sit, & similia quæ pulverisari nequeunt. Et hæc omnium gummi generum est vera solutio ac præparatio : fitque in

in omnibus medicamentis quæ per os ſumuntur, vel quæ exterius admoventur: niſi forſan author denotet, quo humore macerari & diſſolvi debeant. Et quamvis hæc ſit tanquam regula generalis, apudque omnes unguentarios univerſalis: ſcilicet, ut hæc gummi genera diſſolvantur in aceto aut vino: tamen ſuaderem illi, qui aliquam compoſitionem aggreditur, primum ut exacte perpendat, ad quos affectus compoſitio ceu medicamentum adaptetur, ut in liquoribus propriis illa gummi genera diſſolvat.

Olei olivarum.]

Antiquum oleum propter ſcopum emplaſtri facti ad reſolvendos humores frigidos, nam quo vetuſtius eſt oleum, eo majorem vim habet digerendi: & ſunt addendæ adhuc ℥ ix. pro quantitate lithargyri, nam eſt regula generalis, pro quacunque libra lithargyrij ponitur olei lib. j. ß. & id fit, ne lithargyrus propter nimiam vel parvam olei quantitatem decoquendo uratur.

Viride æris.]

Id Græcis dicitur ἰὸς ξυστὸς Arabibus ziniar, Latinis viride æris, vel ærugo raſilis: Plerique tamen florem æris, & æruginem, ſine

ſine aliquo diſcrimine inepte uſurpant, & frequenter unũ *a* alterius loco indifferenter ſumunt. Flos æris autem fit, ut ſæpiſſime probavi, cum æs in fornace liquatur, & in vas præparatum *b* diffunditur, antequam plane concreverit, & frigidæ inſperſione, dum adhuc calet, vapor elevatur, qui laminæ ferreæ, vel plumbeæ adhærens, quæ orificio vaſis imponitur, facile à frigore coaleſcit: & veterum & neotericorum verus eſt flos æris. *c* Sed viride æris vel ærugo raſilis deraditur quidem ab æris laminibus impoſitis vaſis, in quibus concrevit, vaporibus aceti fortiſſimi, & vinaceorum non recentium & aceſcentium. *d* Materia ergo unde flos æris fit, eſt æs liquatum unde vapor excitatur *e* Materia autem æruginis eſt acetum acerrimum & vinacea aceſcentia. Quin & color manifeſte diſcrimen arguit. Optimus enim flos æris *f* eſt friabilis, attritu flaveſcens, brevis, ponderoſus, modice ſplendens. *g* Ærugo quia colore eſt viridis, æs viride nuncupatur. Quod ſi quis aliter exiſtimet, verendum eſt, ne à Peſſulanis mulieribus ridiculus habeatur: quas in eo conficiendo ſedu-

a *Quorundam lapſus.* b *Flos æris verus quid.* c *Viride æris aut ærugo raſilis quid.* d *Floris æris materia.* e *Æruginis materia.* f *Floris æris electio.* g *Ærugo.*

ſedulas, & maxima induſtria utentes vidimus: ibique experti ſumus, cum abraderetur, acre quiddam inde repente nares ferire, propeque ſternutamenta excitare. Quæ diximus, an vera ſint, poteſtis apud dioſcoridem *a* legere, lib.5.capit.48.& 51. qui prædicta narrat. Præterea notandum erit, duo æruginis eſſe genera. *b* Una quippe eſt nativa, ſeu foſſilis: quæ in metallis Cypriis, lapidibus nonnihil æris habentibus quibus ærugo effloreſcat, gignitur. Hæc quidem pauca, vera & optima eſt. Altera factitia, *c* quæ triplex eſt: ſcilicet raſilis, quæ fit ut ſupra diximus: ſecunda vermicularis, ſeu ſcolecia quæ iterum duplex. Foſſilis & factitia.. Foſſilis, quæ optima & per *d* ſe raſa ab lapide ærario eſt; de qua conſule Plinium lib.34. capit.12. Factitia & tertia, quæ fit ex puerorum urina, cum mortario & piſtillo Cyprii æris, qua aurifices ad conglutinandum aurum utuntur; eſtque *e* chryſocolla, ut vult Plinius, lib.33.capit.5. & hanc ſub nomine chryſocollæ complectitur. De quibus generibus lege Dioſcorid. lib. 5. capit.52. & quomodo conficiantur: lege Pli-

a *Æruginis duo genera.* b *Viride æris verum quid.* c *Æruginis factitiæ tria genera.* d *Ærugo ſcolecia duplex.* e *Chryſo olla.*

Plinium lib. & capit. prius citato. Præstat autem ærugo fossilis, seu nativa; si inveniatur; cujus defectu *a* primum genus factitiæ rasilis sumitur, quæ à recentioribus falso flos æris dicitur: & pro illo usurpatur.

Aymentis.]

Vide an sit legendum pro sagimine vitri quod aymentum dulce nonnulli vocant vel pro magnete, cum videtur sagimen vitri potius accommodatum quam magnes, nisi magnetis pulverem commiscere velit *b* author ad spicula extrahenda è vulneribus. Est autem magnes secundum Dioscorid. capit. 105. lib. 5. lapis optimus qui ferrum facile trahit, colore ad cæruleum vergente, densus, nec admodum gravis. *c* Plinius capite 16. lib. 36. vult Sideritim eum dici, quia ferrum attrahit, quod Græcis sideros appellatur: & Heraclium, vel ab Hercule, vel Heraclea civitate. Magnetem vero nuncupari ajunt ab inventore magno. Quidam pastor cum armenta in Ida monte pasceret, videretque baculum cuspide *d* ferrata minutim, quo

a *Æruginis veræ loco quid.* b *Magnes secundum Dioscoridem quid.* c *Magnes secundum Plinium unde nomen sumpsit.* d *Magnes secundum Nicandrum & Anthonium lodoicum olisipponensem medicum, unde.*

quo humum tetigerat, avelli non posse, & hærere solo sibi crepidas cerneret, quas ferreis claviculis compactas gerebat, rei novitate commotus, subesse lapides offendit, qui ferrum retinerent. Auctor Nicander, Plinius & Anthonius Lodoicus medicus Olisipponensis lib.2. de occultis proprietatibus, capit.1. ubi de magnete. Magnetis natura est, ut una parte septentrionem versus dirigatur: eaque parte maxime ferrum attrahit: altera vero in partem australem, ceu meridionalem aspicit, ferrumque abigit, & respuit. Unde manifestus error Plinii arguitur, qui in *a* Æthiopia Theamedem lapidem reperiri ait, qui ferrũ abigat, & respuat, cũ sit magnetis altera pars, quæ versus meridiem vergit, ut probe notavit Reymundus Lullius opusculo de magnete, & rota perpetui motus: quod opusculum, nondum in lucem editum est, sed in manibus nostris servatur. *b* Quinque genera magnetum constituit Plinius, Æthiopicum: magnesiacum: tertium, in Echio Bœotiæ: quartum circa Alexandrinam troadem: quintum, in magnesia Asiæ. Differentia prima, an sit mas, vel fœmina, proxima in colore. Magnetis tria genera

a *Æthiopia. Plinium.* b *Magnetis genera secundum Plinium.*

genera facit *a* Cardanus lib. 7. qui inſcribitur de lapidibus. Primum ferrugineni appellat, quod parte quæ ſeptentrionalem aſpicit, ferrum attrahat: altera qua ad meridiem ſpectat, ferrum expellit. Iſque verus eſt noſter magnes. Secundum creagineum quaſi carnē dūcentē: experimēto eſt, quod labiis hæret. Aliud non abſimile à ſecundo, quo ſolo ſine acie vel gladio, citra aliquem ſenſum, quaſuis corporis parteis penetrare poſſis, ſtatimque vulnus concinnare, nec aliquid ſanguinis effluet: quod ſe expertum teſtatur Cardanus, tum in ſe ipſo, tum in familiaribus. Antipathiam cum allio in magnete admirari licet, qui ſi allio ungatur ferrum minime atrahit: vires tamen recipit, ſi hircino ſanguine tingatur. Quod ſi plura exſpectas, lege Serap. lib. aggregat: capit. Agerabuantes ſive Almagritos: ubi reddit rationem, quare naves incolarum hujus loci ſint ligneis, non autem ferreis claviculis compactæ, propter magnetis frequentiam. Garcias ab orto Proregis Indiæ medicus lib. de aromatum & ſimplicium medicamentorum aliquot, apud Indos naſcentium hiſtoria, ait fabuloſum eſſe, naves quæ Calicut commeant, clavis ferreis non compingi, ob ſcopulorum è magnete fre-

D quen-

a *Magnetis tria genera ſecundum Cardanum.*

quentiam, à quo ſcilicet attraherentur, & raperentur, ſi ferreis clavis fabricatæ eſſent: dicitque plures reperiri naves, clavis confixas ferreis, quam ligneis. Verum quidem in meldinis inſulis naves ligneis clavis eſſe extructas: id autem ob ferri penuriam potius, fieri putat, quam quod à magnete ſibi metuant. Hæc de magnete.

VIRES A MEDICIS PROBATÆ.

Mollificat durities & reſolvit ea quæ ſunt reſolvenda: & eſt apoſtematibus frigidis aptum.

CAPVT X.

Emplaſtrum Ceroma ceu Ceroneum, Nicolai Alexandrini, capit. 286. Vſuale.

Textus verus Alexandrini.

a *Picem navalem nonnulli volũt, qua navium fabricatores naves ſuas recenter fabricatas illinunt. Puto tamen eam eſſe*

℞. *a* Picis,		
b Ceræ.	ana. ℥ vij.	
Sigapeni.	℥ vj.	
Ammoniaci.		

ſumen-

Terebinthinæ.

Colophoniæ.

Croci. ana. ʒ iij.

Aloes.

c Thuris.

Mirrhæ. ana. ʒ iij.

Styracis calamit.

Maſtiches.

d Oppopanacis.

Galbani.

Aluminis.

Fœnigræci. ana. ʒ ij.

e Confitæ.

Bdellii. ana. ʒ j.

Lithargyrii. ʒ. ß.

ſumendam quæ ex navibus vetuſtis deraditur jam permixtam marinæ aquæ: ex qua medicamentoſam vim & aſtrictoriam c n. traxit, ut ſcopo & intẽtioni magis ſit cõveniens.

b *Ceram ſume citrinam non lotam, ut quæ vim habeat concoquendi mediocriter, reſolvendi, medicamentoſaque ſit magis quam lota.*

c *Thus maſculum eſt accipiendum.*

d *Oppopanax, & Galbanum omiſſa fuerunt in narratione ſimplicium à bibliopola.*

e *Per confitam intellige fœcem ſtyracis liquidam, quæ eſt thus Iudæorũ quod etiam plurimi cozũ cozumbrũ caucanum & Thymiama appellant.*

Confice ſic Lithargyrium in ſubtilliſſimum pulverem redactũ cum oleo ſufficienter decoque: deinde picem adde: qua liquefacta ceram adde, poſt cujus liquationem gummi colata, nempe ammoniacum, terebinthinã, ſagapenum, oppopanacem, galbanum, confitam, & ſtyracem calamitem injice, & ſpatula bene commiſce: deinde colophoniæ, maſtiches, olibani & bdellii pulverem: ſic aluminis, myrrhæ, fœnigræci pulverem immitte, & ſpatula optime commiſce. Cave autem ne ſupradictæ ſpecies continuatim, ſed quodam intervallo competenti immittantur: cum autem coctũ fuerit, in aquam infunde, & inde magdaleones factas uſui reſerva.

SCHO-

SCOLIA.

HÆc vero methodus descripta ab Alexandrino non tam videtur artificiosa, facilis, & usu probata quam quæ sequitur. Ceram in frustula concisam, ut liquescat, igni levi appone: qua liquata mox picem colatam, & colophoniam confractam injice, movendo spatula lignea, & cum cera ab igne deposita fuerit, gummi quæ pulverisari nequeunt, ut sagapenum, ammoniacum, galbanum, & bdellium (si molle sit, si vero aridum, aut siccũ, ponatur post mirrham) in vino, vel aceto fortissimo per se imbuta & soluta, & separatim cocta (ut in præcedenti capite docuimus) cum terebinthina, confita, & styrace incorporentur: quæ incorporata, cum præcedentibus liquatis ac modice calidis commisce, desuper cum omnino tepuerit, cætera simplicia optime & seorsim lævigata, trita, ac cribata, ut lithargyrium (vult Alexandrinus illam prius cum oleo coqui) fænugrecum, alumen, mirrham, olibanum, mastichen, aloen, insperge, ac cum spatula lignea velociter agitando conjunge. Paulo post

crocum juxta artem lævigatum exactiſſime dicta ſpatula tractando commiſce. Quibus omnibus diligenter commixtis ſuper marmore manibus oleo laurino perunctis magdaleones formentur. In hoc emplaſtro conficiendo maxime cavendum eſt, ne prædicti pulveres aridorum in emplaſtro calido adhibeantur ne, in grumos abeant. Cæterum Alexandrinus ſimpliciter & ſine ulla additione, ſcribit picem. Pix autem hoc in loco navalis ſumi debet, aut ejus loco noſtra nigra factitia. Quamvis in capite 8. monuerimus, cum reperietur ſcriptum picis ſimpliciter, & ſine ulla additione, liquidam eſſe intelligendam. Verum cum hoc diximus, ſolum eam in compoſitionibus Præpoſiti uſurpandam intelligas, & præcipue in emplaſtris & unguentis, quæ ad maturandum & mundificandum valent. Proinde admonitos Pharmacopeos cupio, Præpoſitum hoc emplaſtrum præſcribere, & in ſimplicibus cum Alexandrino convenire, in ponderibus vero minime ut ſupputavit: hæc Alexandrini deſcriptio pondere ſimplici conſtat: Præpoſitus pondus triplicat, in quibuſdam tamen parum Præterea in methodo conficiendi Alexandrinus de croco nullam mentionem facit, quamvis in

in ſua deſcriptione ſcripſerit: Quare qui hanc compoſitionem aggredi volet non ſecundum Alexandrini modum componat ſed ſecundum noſtrum à nobis deſcriptum.

VIRES AB ALEXANDRINO notatæ.

Optimum ad ſcapularum dolorem & pectoris. Confert hepatis & ſplenis phlegmonis. Anaſarcida, aſciten, & timpanitidem curat: dolorem ilii, & tormina inteſtinorum placat: renum, & veſicæ diſtemperantias, lumborum, pectoris, ſæpius ſuperimpoſitum emendat: inflammationibus & doloribus matricis ſubvenit: Arthriticis, Iſchiadicis, & podagricis medetur. Typice febrientibus, ſtomacho inductum ſubvenit, & morſibus rabioſi canis, & ſerpentium ictibus appoſitum auxiliatur.

CAPUT XI.

Emplastrum Oxycroceum Myrepsi: Sectione x. *de emplastris num.* 14. *Vsuale.*

Myrepsi textus verus.

℞. Croci.
a Zopissæ.
Colophoniæ.
b Ceræ. Singul. ℥ ij.
Terebinthinæ.
Galbani.
Ammoniaci.
Thuris.
Myrrhæ.
Mastiches. Singul. ℥ ß. ʒ j. ß

a *Zopissa, est resina secundũ myrepsum sect. 3. de unguentis num. 52. cum manibus derasa à vetutissimis navibus quam plurimi apochyma, vel hypochyma appellant, hodie tamen ejus loco picem nostram factitiam usurpamus, sed ut verum fatear in hac compositione nava-*

lem

lem illam supradictam intelligere oportet.
b *Ceram citrinam non lotam accipe.*
c *Eliquata legendum.*

Galbanum & Ammoniacum aliquantulum cōtusa conjice in modicum acetum per totam noctem & c fervefacta per saccum ex tenui linteo factum colato coquantur iterum donec pars aceti consumatur. Dein dissolutam zopissam & colatam injicito, adjecta cera: ac dissolvens omnia, simul adjice colophoniam: & deinceps terebinthinam: post mastichē, myrrhā & thus: deinde funde super marmor & croco in pulverem trito insperso ipsum subigito.

SCHOLIA.

IN vas aliquod ceram divisam ad liquandum injectam levi igni appones, qua liquata zopissam, à sordibus purgatam, & colatam una cum colophonia pariter ut liquescant immittes: quibus liquatis ab igneque amotis, & parum refrigeratis, galbanum & ammoniacum arte, seorsinque dissoluta, & ad humidi consumptionem cocta (hoc est ut absumatur humidum à vino vel ab aceto contractum, non autem naturale humidum, ita ut ariditatem immodicam assequantur) & cum terebinthina incorporata, præcedentibus immiscebis: quibus commixtis thus, mastichen & myrrham, separatim tenuissimeque pulverisata desuper caute insperges. Ultimo vero crocū quam tenuissime pulverisatum assidue movendo spatula lignea, conjunges, ac subiges. Tunc cum omnis materia in unum conjuncta & probe subacta fuerit manibus, oleo quod nervos confortat, unctis magdaleones efformabis.

VIRES

VIRES A MYREPSO descripta.

Ad contusa ossa, nervos, ac dolores, & ad omnem contusum locum confert.

CAPUT XII.

Emplastrum de Cerusa Præpositi ex xx. particula secundi libri ubi agitur de unguentis: & appellat illud unguentum de Cerusa coctum Vsuale.

Vera Præpositi descriptio.

a *Legendũ (ut expertus sum) unc. vj. vel ix. si magis album vis conficere.*

a ℞. Olei communis. ℔.ij.
Cerusæ Subtiliss. ℔.j.

Coquantur lento igne, donec sit coctum. Et sunt aromatarii maxime in Gallia, qui faciunt præsens unguentum ad modum emplastri: & vocatur emplastrum de Cerusa.

SCHOLIA.

Confice sic Cerusa super porphyrium ducta & cribrata, in lebete satis amplo, spatula lignea assidue agitando diu nutriatur una cum oleo, deinde igne lento & brevi coquantur, videlicet claro aëre & radiante sole, quousque à tumore subsideat nec manibus adhæreat, seu donec marmori, vel frigidissimæ aquæ infusa portiuncula idoneam habere consistentiam videatur. Tunc refrigerare permittes, & magdaleones nive albidiores ad usum efficies.

Tamen ajunt nonnulli ut emplasticum fiat, nec manus coinquinet, coqui debere diutius: itaque secundum eos non videtur esse dosis olei exuperans. Nam plurimum olei coquendo absumitur: sed quia decoctione nigrescere potest emplastrum, illorum secretum est ad albedinem servandum, cum decenti coctione, & eadem dosi olei, miscere nonnihil cerusæ dilutæ, vel aliquid ceræ albæ circa finem coctionis. Re vera dum modo proportio olei & cerusæ à nobis præscripta apponatur, & lento igne coquatur, facile sine ceræ & cerusæ addi-

additione (ut sæpissime expertus sum) potest confici: albumque maxime redditur: si vero plus olei, quam par sit addatur, tunc coctio longa erit: longa autem coctione nigrescit, nisi aliquid ceræ vel cerusæ commisceatur. Meminit emplastri de cerusa Galenus lib. 1. secundum genera cap. 14. quod ex cerusa, lithargyrio & resina fit, oleo omphanino, & cera.

Olei communis.]

In hoc magis convenit oleum rosatum, factum ex olivis & rosis immaturis ponere, quam commune, quia frigidius communi: tum quia emplastrum videtur prodesse malis complexionibus calidis factis à caliditate solis, vel quavis ratione, & etiam fricatione, seu excoriatione cum calefactione mala. Ut igitur his morbis potentissime conferat, oleum rosatum immaturum, loco communis, accipiamus: videlicet Mesuæ descriptionis, vel Præpositi.

Cerusæ albæ.]

Omnis cerusa, antequem emplastra, unguenta, collyria, & hujusmodi compositiones ingrediatur, debet ablui, ut mediocriter desiccet, & astringat sine aliqua mordicatione, in liquore proprio. Ejusq; lotio talis est. Accipe cerusæ albæ plumbariæ fria-

friabilis, a & quæ fit Rhodi, & Corinthi, vel in Puteolis Italicæ regionis, quæ Gallis (cerufe de Venize) dicitur, quantitatem sufficientem, eam friando in aqua communi, vel rosacea, vel secundum affectum cui inservire debet: sed in hoc præstat aqua rosacea, tum propter frigiditatem, tum propter gratiam odoris: in mortario marmoreo pistillo ligneo diutissime tere: deinde aquam paulatim effunde, aliquot horis friando, ac agitando: agitatam quiescere permitte. Ubi in fundo mortarii cerusa quieverit, & sedata omnino fuerit, abjiciatur aqua: rursusque aliam aquam novam immitte, ut prius agendo: sæpeque id factitabis, abjiciendo aquam & aliam innovando, quousque aqua ultima injecta agitataq; cum prædicta cerusa, nitida, clara, omnisque sordis expers appareat, quam ejicies. Tum cerusam paulatim super porphyrio cum molula accuratissime levigabis, & levigatam deficcabis: iterumque postquam siccata fuerit, in eodem mortario rursus teres, de qua trita pastillos cum aqua rosacea finges. Alii cum aceto acri pastillos formant, & in sole siccant. Hactenus de cerusa: de illius autem confectura lege Dioscoridem lib. 5. cap. 63. vel Mesuen

a *Cerusæ electio & lotio.*

fuen in lib. Servit. Quid fit lege infra in 2. fect. cap. 1.

VIRES EX MESVE DESVMPTÆ.

Malis complexionibus calidis factis à caliditate folis convenit, fricationi feu excoriationi cum calefactione mala valet.

CAPVT XIII.

Emplaftrum Triapharmacum Mefue ex diftinctione XI. *de unguentis & emplaftris Vfuale.*

Vera Mefuæ defcriptio.

a ℞. Lithargyrii triti ficut alcooch. Par. j.

Aceti vini fortiffimi. Par. j.

b Olei antiqui. Par. ij.

Coquantur cum facilitate ufque dum fiat ejus fpiffitudo, & adminiftretur.

a *Lithargyrium aureum vel argenteum fi fumas nihil intereft: tamen aureum praftat.*

b *Olei lib.* I. *fe. legendum pro quantitate lithargyrii ut expertus fum.*

SCHO-

SCHOLIA.

Electum, præparatum & elaboratum (ut in præcedentibus emplaſtris docuimus) accipiatur lithargyrium, una cum oleo ſpatio xij.horarũ nutriatur, lentoque igne ſemper ſpatula lignea movendo coquatur, donec craſſeſcat: quo cocto ſtatim aceti mediam partem paulatim affundẽdo in id injicies, videlicet extra ignem ne (ut ſuperius docuimus) recentium rerum contactu exundet. Rurſuſque igni lithargyrium appones, & ad aceti conſumptionem concoques: quo conſumpto, alteram partem aceti, quæ reſtat, eodem modo injicies paulatim lithargyrio ab igne remoto. Deinde ad decentem concoctionem percoques, videlicet ad electarii formam, vel quouſque fundo vaſis non adhæreat, & digitos tractando non coinquinet, quod ſane perfectæ coctionis ſignum eſt: coctum autem & in hunc modum paratum ad uſum repones. Unum hic ab omnibus diligenter notandum venit, lithargyrium nempe quod hoc emplaſtrum ingreditur, debere aqua roſacea lavari ſine aliquo dubio, & loco

loco veteris olei, rosaceum immaturum sumendum, quia pares vires & facultates sortitum, ut emplastrum de cerusa. Cum itaque hæc duo pares habeant effectus, & unum alterius loco sumatur, non erit alienum in hoc simplicia præparare, quemadmodum in emplastro de cerusa paravimus. Christophorus de Honestis in expositione hujus emplastri eadem distinctione xj. sic inquit. Emplastrum de cerusa quibuscunque malis complectionibus calidis factis à caliditate solis &c. convenit. Pariter istud Tripharmacum confert ulceribus quibus conjungitur mala complexio calida &c. Quare si sic emplastrum omnibus depositionibns confert, quibus unguentum de cerusa coctum, & si etiam in eo lavetur cerusa in aqua rosacea, & loco olei communis oleum rosatum immaturum sumatur, cur in isto lithargyrium eodem & simili modo non parabitur, cur etiam oleum antiquum in rosaceum immaturum non transmutabitur? Præterea notandum apud Galenum cap. 3. lib. 1. secundum genera hujusce emplastri varias esse conficiendi formas pro intentione varia, & scopi differentia. Interdum cum veteri & communi oleo: interdum oleo communi & aceto, ad duplam lithargyrii por-

portionem : variat etiam apud eundem concoctionis modus,& quantitas. Ex iisdem materialibus crudis fit unguentum quod nutritum Chirurgi vocant, ad inflammationes & erysipelata commodum.

VIRES EX MESVE DESVMPTÆ.

Easdem quas vires habet emplastrum de cerusa, facitque carnem nasci in vulneribus consolidans ea.

CAPVT XIV.

Emplastrum palmeum ceu diachalcitheos Mesuæ ex distinctione XI. *de unguentis, & emplastris Vsuale.*

Verus Mesuæ textus.

a *Oleum commune seu olivarum insulsum vetusque accipe.*	*a* ℞. Olei veteris. ℔. iij.
b *Axungiam suillam non salitam sed vetustissimam dixit author ad differentiam pinguedinis.*	*b* Axungiæ veteris sine sale. ℔. ij.

Diffe-

Differunt autem Pinguedo & axungia: nam pinguedo dicitur (sain doux) axungia vero (vieil oing) nũcupatur, ut Galen. placet lib. 1. secundum genera.

c *Lithargyrium aureum sume.*

d *Vitriolum Romanum seu album accipe.*

c Lithargyrii triti ſicut alcooch. libr. iij.

d Vitrioli. ℥ iiij.

Conficiatur ſic. Oleum & axungia mittantur in ſtagnato ſupra ignem, & liquefiat. Deinde addatur lithargyrium, & vitriolum, & ducantur continue cum tribus ramis palmæ, & accipe unum ramum palmarũ minutim inciſum, & intromittatur, & tandiu bulliat ſuper ignem lentum factum de lignis ſiccis, donec inflammetur, & redeat ad ſuum ſtatum, & inſpiſſetur, & denſitatem habeat.

SCHOLIA.

IN lebete amplo lithargyrium præparatum & oleum, horarum xij. ſpatio, ut ſimul nutriantur, impones. Poſtea igni lento, & levi, ne nigreſcat aut uratur, ad craſſitiem concoques. Tum pinguedinem injicies, perpetuo & ſine mora, ſpatula palmea, aut phœnicea eadem die abſciſſa, quo pharmacum conficietur, alioqui prius exciſa ſuccum amittit, vel illius loco radice cannæ, vel ſaligno ramo, vel quercino, vel meſpillino aut ejus arboris ramulo quæ aſtringendi vim modicam habeat. Quibus ad perfectam concoctionem decoctis, ab igneque depoſitis, & parum refrigeratis, vitriolum romanum ſeu album, pulveriſatum, ut liqueſcat, injicies: quo liquato & omnibus refrigeratis magdaleones finge.

Alii liquore convenienti vitriolum diſſolvunt, & in lithargyrio cocto & extra ignem admoto paulatim affundunt, & ut mucagines coquunt: deinde ab igne deponunt, & eo tepefacto magdaleones ad uſum conſtituunt. Animadvertendum erit inter

inter coquendum ut humiditas naturalis ſpatulæ in lithargyrio remaneat & omnino cum eo conſumatar. Itaque dum diutius coquetur lithargyrium videbiſque extremitatem ſpatulæ deſiccari, illa pars ſicca præſcindi debet ad humidum uſque, ut nova ſpatula movendo novus ſuccus reddatur in lithargyrio, idque ſæpius repetendum erit, donec multis ejectis taleolis, ſpatula pro brevitate inutilis derelinquatur, & ſuccum humoremque ſpatulæ ſæpius renovatæ lithargyrium retineat. Permulti iſtud medicamentum componuut, ſcilicet ex lithargyrii lib. iij. Olei veteris & axunguiæ porcinæ æquis partibus, Vitrioli ℥ iiij. Alii vero ſine oleo lithargyrium æqua cum porci axungia portione, & vitrioli ℥ iiij. perficiunt. Verum (ut quod veriſſimũ, eſt notum ſit) prima deſcriptio cæteris omnibus antecellit (ſive à Meſue ſive à Galeno ſit literis tradita) & in officinis magis eſt uſitata quia certa videtur proportio olei & axungiæ ad nutriendum, & coquendũ lithargyrium, ut expertiſumus.

Vitrioli.]

Quid de eo apud probatos authores cum antiquos, tum recentiores, legerimus, qua poterimus facilitate explicabimus.

Vitrio-

Vitriolum *a* nihil aliud eſt quam atramentum ſutorium. Dicitur autem atramentum ſutorium ipſum vitriolum, quod olim eo coria ſua tingebant ſutores, & alii opifices qui corio utuntur: ſed quia acre eſt, & facile corrodit calceamenta, à ſutoribus atramentum aliud excogitatum eſt, quo coria tingunt nempe ex ferro. *b* Sed apud veteres atramentum ſutorium intelligere debemus, vitriolum metallicum: illud ſcilicet, quod nihil aliud eſt quam aqua congelata, & aſſumpta natura æris, diverſam *c* habens naturam lapidis cui adhæret. Plinius lib. 34. cap. 12. Chalcantum, id eſt, vitriolum, & atramentum ſutorium dividit in nativum ſeu foſſile, & factitium. Natium triplex eſt, unum quod fit ſcobe cavato: ſecundum quod fit in ſaxorum catinis: tertium *d* quod fit ſalis modo, flagrantiſſimo ſole admiſtis dulcibus aquis cogente. Et eſt factitium, quod in Hiſpania ex puteis ſtagniſve fit, habentibus id genus aquæ: hæc Plinius. Serapius capite de Zed. ſic ait. Vidi in mineris tres venas

a *Vitriolum & atramentum ſut rium idem.* b *Atramentum ſutorium ſecundum veteres vitriolum appellatur.* c *Vitriolum metallicum ſeu atramentum ſutorium quid.* d *Vitrioli ſeu chalcanthi vel atramenti ſecundum Plinium diviſio.*

venas extensas; unam super aliam *a* per longum spatium, & vena inferior erat Zed nigrum, id est, marchasita, vel pyrites: quod si in aceto dissolvitur in nigrum colorem vergit, & ab Avicenna lib. 2. cap. de atramento, vocatur atramentum album, quia non dissolutum videtur albi coloris esse. *b* Et secunda quæ erat supra eam, colcotar dicitur, id est chalcitis. *c* Et terra quæ superior est, Zed viride, id est vitriolum vel calchantum, dicitque has tres species ad invicem diversificari, in subtilitate, & grossitudine, quoniam ex his fit grossius zed nigrum: colcotar, seu calcitis, inter hæc duo medium tenet. Hæc Serapius.

Galenus lib. 9. simpl. medicam. *d* una cum Serapio convenit, sicque his verbis disserit. Domus ingens cujus introitus erat ipsum metallum, in quo conspexi quasdam in longissimum porrectas veluti zonas, alias super alias, num. tres. Infima erat ipsius Soreos, super quam erat altera Chalciteos, suprema Miseos. Et lib. 4. de composit. medicam. per genera. Misi, Sory, ut didicistis, Chalcitidi genere cognata

a *Atramentorum secundum Serapium divisio.* b *Atramentum album quid secundum Avicennam.* c *Colcotar & chalcitis idem secundum serapium.* d *Atramentorum secundnm Galenum divisio.*

gnata sunt, ex una, ut ita dicã, radice producta: tenujus tamen apparet Misy, crassius Sory. Chalcitis mediam utriusque facultatem habet. Igitur hi duo authores aperte ostendunt hæc tria sponte in visceribus terræ fieri ac inveniri, non autem ullo artificis ingenio. Nunc quid Sory, Chalcitis, & Misy dicamus.

a Sory inquit Dioscorides lib. 5. cap. 78. veteres existimarunt Melanteriam esse aberrantes: siquidem sui generis est Sory ei non *b* absimile: præfertque Ægypticum, quod frianti nigrius apparet, in multa dehiscens foramina, subpingue, astringens, & olfactu, devoratione que magnum virus olens, ita ut stomachus in vomitiones effundatur: in humore non liquescit. Memini me vidisse Sory verum, coloris ex nigro rubei, sed diluti, exteriori superficie subluteum, & albicans ut fere appareat chalcitidem prius extitisse, sapore acerbo, ut est chalcitis vera, sed minus astringente & leviori quam melanteriam & misy minusque friabile, chalcitide excepta.

Chalcitis secundum *c* Marcellum virgilium lib. 5. capit. 63. est lapis unde æs coquitur: nam hoc vocabulo generali multæ

a *Sory antiquorum quid.* b *Soreos electio.* c *Chalcitis secundum M. Virgilium.*

multæ res ſignificantur, ut una eſt lapis ærarius, id eſt marchaſita ſeu pyrites. *a* Altera eſt ſignificatio chalcitidis, qua ſignificat chalcitin vel trichitin, id eſt, alumen capillare, & ærarium, quod in pyritem concreſcit, hinc aliquoties *b* alumen ſchiſton dicitur. Ultima ſignificatio chalcitidis eſt ſpecies chalchanti (id eſt flos quaſi æris) atramenti ſutorii, ſeu vitrioli: hæc vero chalcitidis, ſpecies chalcanthi. Duplex hæc, nativa & factitia. Nativa rurſus eſt duplex Cypria & Babilonica: de Cypria lege Plinium, lib. 37. cap. 11. & Dioſcoridem lib. 5. cap. 75. De Babilonica vide Serapium capit. de Zed. Factitia eſt quæ fit ex chalcantho veteri, quod in filamenta tranſit, atteſtante Galeno, qui chalcanthum paulatim in chalcitin tranſire ſcribit. Probatur *c* chalcitis primi generis ſecundum Dioſcoridem eodem lib. & capit. citato. Similis enim æris friabilis, nec lapidoſa, nec inveterata intercurſantibuſque oblongis venis ſplendentibuſque promptiſſime liqueſcit. *d* Miſy eſt gleba ex humore coagulato, ſubſtantia, ſapore, & viribus, ut chalcitis. Nam ut prædiximus,

a *Chalcitidis nomen multa ſignificat.* b *Alumen capillare ſeu ſchiſton vel pluma eſt ſpecies chalcitidis.* c *Chalcitidis nativa primi generis electio.* d *Miſy quid.*

sory, chalcitis, & misy ex una radice quasi producuntur, & genere cognata sunt. Duo autem apud quosdam *a* sunt genera. Unum nativum, quod sponte gignitur, & præcipue in fodinis Gosclariæ ærariis: alterum *b* factitium, quod fit cum chalcanthum est mutatum in chalcitin. Plinius lib. 34. capit. 12. fieri è lapide concretum natura discretumque dicit, & optimum in officinis Cypriorum. *c* Præstat nativum natione Cyprium, quod auri colorem imitatur, & stellæ modo splendet ægreque liquescit, ut testatur Dioscorides lib. 5. cap. 76. Tandem misy verum, & ego sum testis oculatus, est coloris lutei, sed subviridis, facile friabile, punctis luteis sublucentibus, saporis chalcitidis veræ sed minus acris.

d Melanteria secundum Sylvaticum, est clavorum veterum ferreorum rasura. Alii dicunt esse fugiam de ferro. Dioscorides lib. 5. cap. 77. triplicem facit originem. *e* Unam quidem quæ in faucibus cuniculorum, quibus æs eruitur, salis modo concrescit. Alia vero in summa faciæ supra-

a *Misy secundum quosdam duplex.* b *Misy factitium secundum Plinium quid.* c *Miseos secundum Dioscoridem electio.* d *Melanteria secundum Sylvaticum quid.* e *Melanteria triplex secundum Dioscoridem.*

ſupradictorum locorum coit, quæ terrena eſt. Quinetiam invenitur in Sicilia & aliis quibuſdam regionibus foſſilis quædam. *a* Laudatur ſecundum Dioſcorid. quæ ſulphuris colorem trahit, levis, pura, æquabilis, & quæ contactu aquæ confeſtim nigreſcit, tingiturque illa ſecundum diverſas terras in quibus gignitur. Dicamus itaque Sory, Chalcitin, Myſi, & Melanteriam eſſe ſpecies chalcanthi & per chalcanthum, intelligamus omnes ſpecies chalcanthi. Nam aquæ, quæ habent ſuccum hujus vel illius ſpeciei chalcanthi eundem ferme habent ſaporem eandemque naturam, differuntque tantum ſecundum magis & minus. Immo tantum eſt conſortium inter quatuor ſpecies chalcanthi, ut facile ex una ſpecie corrupta generetur altera. Præterea omnia hæc genera eſſe ſalis ſpecies dicemus, adeo ut cum plures ſint ſalis ſpecies & differentiæ, pariter etiam plures ſpecies chalcanthi diſtinguuntur adinvicem.

Hactenus de vitriolo & generibus ex veterum opinione: nunc de opinione recentium, quæ magis arridet, dicamus.

Vitriolum, *b* quod ut plurimum ab antiquis

a *Melant. electio.*
b *Vitrioli ex Neotericorum ſententia conſideratio.*

tiquis atramentum dicitur, nunc tripliciter consideratur. Etenim vitriolum simpliciter, aut vitriolum Romanum nihil aliud est quam coppa rosa. Vitriolum autem quod vocabant Cyprium, est proprie illud cœruleum quod nunc effoditur in Germania: quod quiddam de natura æris participat. Nam levi artificio ex illo æs extrahitur, ob id chalcanthum appellatur, Gallis vitriol d'Alemaigne. Atramentum autem nigrum nunc reperitur in Liguria, & est quodammodo ferrugineum, id est naturam ferri sapiens & ex illo ferrum per artificium mutatur in æs, qnod nihil aliud est quam colcotar. Atramenta hæc omnia, seu vitriola, sunt quædam mediæ dispositionis inter alumina & sulphura, ex utrisque enim participant, sicuti alumina constituuntur inter sales & vitriola.

VIRES A MESVE DICTATÆ.

Ad vulnera ubi est sanguis, & apostemata pestilentia, & exituras, & adustionem, & compressionem & attractionem valet.

CAPVT

CAPVT XV.

Emplastrum contra rupturam seu de pelle arietina Præpositi ex vj. particula lib. 2.

Vera Præpositi descriptio.

a *Picem illam navalem quam fabricatores navium ex vetustis navibus deradunt accipe, aut ejus loco illam qua calcearii in compingendis calceis utuntur.*

b *Litargyrium aureum sume.*

c *Ceram novam hoc loco intelligere licet recens expressam, quæ adhuc mellis odorem retinet, & sic flavescit, ut ad rubrum accedat. Dixit vero rubeam, ad differentiam albæ quæ Galeno libris secundũ genera (ubi docet confect. emplastrorum) Pontica dicitur,*

a ℞. Picis navalis.
Aloes. ana. ℥. iij.
b Lithargyrii.
c Ceræ rubeæ.
Colophoniæ.
Galbani.
Ammoniaci. ana. ℥ ij.
Visci quercini. ℥ vj.
Gypsi usti.

extreme alba & naturaliter talis.
d *Aristolochiæ utriusque radices.*
e *Thus masculum quod nos olibanum vocamus sume.*
f *Ysculi sunt terrestres vermes qui in vitio austero lavari debēt & clibano modice calido desiccari, prius tamen lotionibus pluribus in aqua lavari ut à terra separentur.*
g *Gallas non perforatas virides & firmas intellige: eo quod acerbiores sunt perforatis.*
h *Utriusque consolidæ radices accipe: hoc in loco Præpositus non determinat liquorem in quo debeat pellis arietina deco-*

d Vtriusque aristolochiæ. ana· ℥ iiij.

Myrrhæ.

e Thuris. ana. ℥ vj.

Terebinthinæ. ℥ ij.

f Ysculi.

g Gallarum.

h Vtriusq; consolidæ.

Boli armeniæ. ana. ℥ iiij.

Sanguinis humani. ℔· j.

Confice sic. Primo ponatur viscus quercinus, & dimittatur bullire in aqua decoctionis pellis arietinæ sicut removetur ab ariete, quæ

qui : vide infra in nostra methodo.

debet decoqui per diem & noctem, postea deponatur ab igne, & ponatur terebinthina, lithargyrium & colophonia, postea mastiche & thus, ysculi, myrrha, galbanum, & ammoniacum, paulo post consolida major & minor, gypsus, & bolus armena. Postea super ignem ponatur, & ponatur sanguis humanus, consequenter aristolochia longa, & rotunda, & ad ultimum aloe, & semper agitari debet sine intermissione fortiter cũ spatula. Signum decoctionis est quando digitis non adhæret: postea ponatur super marmor unctum oleo violato & manibus malaxetur postea teratur iterum assidue per duos vel tres dies, deinde usui reserva.

SCHOLIA.

ANtequam methodum hujuſce emplaſtri aggrediamur notandum erit quantitatem picis, ceræ, & colophoniæ, tum & gummi diſſoluta, & cocta, viſcum & bitumen pellis, quæ omnia corpus emplaſtri hujus faciunt, minime ſufficere ad emplaſtri conſiſtentiam, & craſſitiem, quam ligationem appellamus, niſi pondus ceræ & terebinthinæ augeatur: vel ſi illorum pondus nolis augere addenda eſt lib. j. aut ℥ ix. olei convenientis effectui emplaſtri: vel olei loco poteris addere lib. ß. vel ℥ ix. ad ſummum unguenti Comitiſſæ, quod maxime mihi videtur ad hujus unguenti naturam & proprietatem accedere. Quod ſi neque pondus prædictorum augeamus aut nihil olei, vel unguenti addamus, ſucceſſu temporis emplaſtrum nullam conſiſtentiam aut corpus habebit, ſed potius formam pulveris, ut multoties expertus ſum. Quare conſulerem ut hac ſequenti methodo componeretur, valde enim emplaſtica & methodica eſt.

Integram arietis pellem, ſtatim ubi ipſa ab

ab ariete divellitur, accipere convenit, eamque in minutissimas partes dividere, & in lib. circiter 200. aquæ pluvialis & aceti, diutissime coquere, donec maneant tantum pili. Tunc totum decoctum calidum intorqueatur & exprimatur. *a* Expressionis ipsius quantitas sufficiens refrigerata in gelatinæ, aut bituminis modum condensata (quod erit signum perfectæ coctionis, & dissolutionis ad pulveres congregandos & incorporandos) accipiatur, in quo dissolve viscum quercinum præparatum, quo dissoluto totum igni levi appones, & statim ceram minutim concisam, ut liquefiat, conjicies: deinde picem frustulatim divisam pariter, ut liquefiat, impones. His omnibus liquatis, & ab igne depositis, & parum refrigeratis, lib. ß. vel ad summũ ℥ ix. unguenti Comitissæ commiscebis, ad ligationem. Paulopost galbanum, & ammoniacum seorsim vino austero dissolutum (vult Guido in aceto dissolvi) & coctum, una cum terebinthina incorporatum, spatula tamen movendo, conjunges (modus autem solu-

 tionis

a Guido addit lib. sc. tanquam pro materiali decoctionis ipsius pellis arieti a: quamvis Præpositus in methodo faciendi vult omnia dissolvi in toto cremore decoctionis pellis arietina cujus recepta varia est ab ista.

tionis ac coctionis, satis à nobis hac Sect. cap.9. explicatus fuit) desuper simplicia arida separatim & tenuissime pulverisata & cribrata ordine & hac methodo sequenti insperges, ut lithargyrium præparatum, gypsum, bolum armenam cum aqua rosacea vel plantagine lotam, aristolochiam & utramque consolidam, ysculos præparatos, sanguinem humanum optime collectum. Ultimo vero myrrham, thus, colophoniam, & aloen: agitabisque simul omnia sine ulla intermissione cum spatula eousque dum sint subacta & mixta omnia. Insuper spatio unius dei, ut exactior fiat incorporatio & permixtio, in mortario cum pistillo mediocriter calido massam tractabis. Peracta autem agitatione & tractatione, manibus oleo violaceo unctis, super marmore oleo eodem uncto, magdaleones formabis, quos ad usum servabis.

Colophoniæ.]

Colophoniæ pro resinarum ratione, ex quibus conficitur variæ sunt species, unde alia candida, alia mollis, crudaque est, à pineo vel piceo caudice manans, & olei colorem referens. Pinguis, quæ vera est colophonia, olim ad nos ex colophone Ioniæ urbe, unde uomen sumpsit, deferebatur.

batur. Alia ſicca, cocta ſive fricta, lucida quæ nihil aliud eſt, quam fex diſtillatæ terebinthinæ, aut terebinthina arte in hunc modum cocta, videlicet ex partibus duabus terebinthinæ, cum parte una aquæ pluvialis, quæ *a* hodie in officinis noſtris colophonia cognominata eſt. Sed quia vera deſideratur, ejus inopia priore *b* utimur, quæ probatur lucida, levis, odorata, calculorum expers. Si plura deſideras, poteris ſupra hac ſectione prima cap. 8. legere, ubi agitur de pice.

Viſci quercini.]

c Viſcus per ſe non eſt arbor, ſed in arboribus vivit, præcipue in quercu, ſudorque arboris dicitur. Gignitur quoque in malo, piro, & pleriſque aliis arboribus: quinetiam in quorundam fructuum radicibus. Fitque pluribus ac diverſis modis, verum præſtantiſſimus ſecundum Dioſcoridem lib. 3. capit 87. eſt qui è granis in quercu *d* naſcentibus extrahitur, & probatur recens, intus porraceus, extra fulvus, ſine cortice, leviſſimus, qui nihil aſperi furfuroſique conceperit, & ille ſumendus eſt, in omnibus compoſitio-

E 6

a *Colophoniæ factitiæ paranda ratio.* b *Colophoniæ factitiæ electio.* c *Viſcus quercinus quid, & in quibus arboribus gignitur.* d *Viſci quercini electio.*

tionibus, quæ immodicam virtutem habent aſtringendi.

Gypſi uſti.]

a Lutetiana urbs noſtra maxime gypſo abundat, ibique commode, & frequenter nativum ſeu crudum eruitur, deinde coctum ad ædificia *b* fabricanda expetitur. Albertus magnus vult quaſi extremitatem lapidis ſpecularis eſſe: alii genus lapidis ſimilis nitro habentis venas latas eſſe. Res admodum cognata eſt calci non tamen ita eſt *c* calidum, differtque à calce: nam calx reſtincta humore aliquo non oleaginoſo, acquirit calorem, gypſum vero reſtinctum non accenditur, neque calet. Eſt autem gypſum duplex. Unum quod dicitur aſini ſpeculum, *d* ſquamoſum, & lucidum: aliud concretum non ſquamoſum, neque lucidum, *e* Præſtantiſſimum eſt recens, lucidum, non diu aſſervatum, poſt coctionem aquæ immiſtum ægre lapideſcit ac coit. Uritur autem ſic.

f Gypſum lucidum ſquamoſum & integrum accipito, & in crucibolo fuſorioque furno ubi ſint carbones accenſi circumcirca imponito, ignem continuando eouſque

a *Gypſi conſideratio.* b *Gypſum ſecundum Albertum magnum quid.* c *Gypſum & Calx quomodo differant.* d *Gypſi duo genera.* e *Gypſi electio ſecundum Dioſcoridem.* f *Gypſi uſtio.*

eousque dum peralbum nivis modo deveniat, læve, ac friabile, & si digitis moveatur in pollinem abeat: hoc enim modo ad usum dictum id accipiendum. Hactenus de Gypso. Plura Plinius lib.36. capit.24. & Georgius Agricola lib.5. fossilium genera multa annumerat.

Sanguinis humani.]

Præpositus in hoc emplastro *a* sanguinem humanum requirit, qui sententia plurimorum eligi debet ab homine, qui à vigesimo quinto anno ad trigesimum accedat, qui uxorem non duxerit, nec rem cum ulla habuerit, nec obnoxius sit morbis, qui in lætitia vixerit absque ebrietate, seque exercuerit in equorum agitatione, aut in pila palmaria (si talem reperire possis) non autem ex homine ruffo, ut plurimi sentiunt, cum temperamento is sit magis biliosо, & melancholico: talis enim sanguis minime idoneus est facileque putrescit. Quid vero si nullo pacto talis possit reperiri, nec ab homine ruffo & temperato, ut sufficiat ad compositionem? *b* Censerem ubi sanguis desit, suillum sumendum Galeni authoritate lib.10. Simpl. cap.1. ubi de

a *Sanguis humanus à quibus hominibus accipitur.*
b *Sanguinis humani loco quid sumendum, & Galen. & Avicen. sententia.*

de ſanguine dicit, ſanguinem intelligendum eſſe animalis ſecundum naturam ſe habentis, alterius vero ſanginem humore aliquo mixtum eſſe, qui quovis tempore facile ad manum haberi poteſt: cum etiam ex Galeno lib. 10. Simpl. cap. 2. maxime temperie ſit humano ſimilis. Probatque Galenus eos qui ſanguinis humani loco in morbis ſuillum commendant. Cujus ſententiæ Avicenna libro ſecundo tractatu 2. cap. 610. aſtipulatur, dicens, in omni re ſanguinem *a* humanum & ſuillum ſimilem eſſe. Alii autem recentiores medici bovillum fibroſum ad aſtrictionis ſcopum potius aſſumunt quod re vera melior propter aſtrictionem ſit. Hactenus de ſanguine humano. Nunc ad illius collectionem accedamus. Accipiatur ſanguis humanus ex homine boni habitus, beneque temperati, & medius fluens, quia tenuior eſt: in olla fictili bene cocta & plumbata in qua quieverit & incocta fuerit aliquot horis aqua pura, & ſincera, ut odor terreſtris deperdatur, vel ſi mavis vaſe vitreo excipiatur & linteolo raro contegatur, ſolique, euſque dum ſiccum ſit, exponatur.

VIRES

a Sanguinis humani loco quid ſumendum ſecundum recentiores. b Sanguinis humani electio, & deſiccatio.

VIRES A MEDICIS PRÆ-scripta.

Solenne est ad enterocelem, & intestinorum ramicem & ad herniam.

CAPVT XVI.

Emplastrum de granis Lauri, ex distinct. xj. *Mesuæ de uuguentis & emplastris Vsuale.*

Vera Mesuæ descriptio quadruplicata ponderibus.

℞. Olibani.

Masticheſ.

Myrrhæ. ana. ℥ iiij.

a *Grana lauri excorticata sume.*

a Granorum lauri. ℥ viij.

Cyperi.

b *Costi amari radices intellige.*

b Costi. ana. ℥ ij.

Mellis

Mellis quantum sufficit, hoc est, tantum quantum pulveres possunt sufficere & re vera videntur pro quantitate specierum unc. vj. sufficere, si debitam formam & emplasticam habere velimus.

Mellis colati quantum sufficit ad aggregandum: & extendatur in panno, & calidum superponatur, ubi oportet. Si autem triplicatur in eo cyperũ, & ponatur de stercore caprarum, aut vaccarum sicco, ad pondus omnium, invenitur mirabile ad hydropisin.

SCHOLIA.

PEr angustissimum cribrum hæc omnia electa, secundum veram illorum electionem, in tenuissimum pulverem separatim tundito, & cribrato, deinde cum sufficienti quantitate mellis optimi crudi non autem cocti (quia mel nunquam in emplastris & ceratis coqui debet propter tenacitatem) sed modice calidi excipiantur: dempto olibano mastiche & myrrha, quæ cum massa

massa tota frigida fuerit simul permisceantur: & magdaleones ad usum formentur.

Verum in conficiendo hoc aggregato caveat myropola simplicia ista scilicet myrrham, mastichen, & olibanum melle calido inspergere, & conjungere, ne in grumos abeat.

Stercoris caprarum aut vaccarum.]

a Caprarum sylvestrium, juvenum pilulas recenteis, cum herbas pabulantur, tempore veris excipe, & in paropside munda linteolo cooperta ad siccandum soli expone: desiccatæ necessitati serventur. Sic humidum & recens stercus vaccinum, cum vaccæ depascuntur herbas, vere (propter mollificationem & resolutionem) accipito & in disco terreo, linteolo cooperto, sub dio exponito, quousque arefactum sit: arefactum ad usum condito.

VIRES A MESVE PROBATÆ.

Ad dolores à frigiditate & ventositate factos, & proprie ad dolores ventris, & stomachi, & renum, & matricũ, & vesicæ, & aliorum viscerum maxime confert.

CAPVT

a *Caprini & vaccini stercoris collectio.*

CAPVT XVII.

Emplastrum de mucaginibus authoris incerti quod Fuschius xvj. *Sectione de emplastris inseruit, & Praepositus* vj. *particula secundi libri Vsuale.*

Verus illorum textus.

℞. Mucag. *a* seminis lini.

Mucag. *b* radicum altheæ.

Mucag. seminis fœnugræci.

Mucag. mediani corticis ulmi. ana. *c* ℥ iiij. ß.

d Oleorum liliacei.

Chamæmelini.

a *Semen lini ad mucaginem faciẽdam minime contundi debet, pariter & semen fœnugraeci.*

b *Alii conficiunt mucaginem ex semine althea loco rad.*

c *Cordus tantum ponit ana unc. iiij.*

d *Oleum de lilio chamæmel, & anethinum Mesuæ descriptionis accipe.*

e *Ceram*

Anethini. ana. ℥j. ß.

Ammoniaci.

Galbani.

Opopanacis.

Sagapeni. ana. ℥. ß.

Croci. ʒ ii.

e Ceræ novæ. ℔. j. ℥ viij.

Ceram citrinam intellige & per libram unc. xij. accipe non autẽ unc. xvj. pro libra ut nonnulli faciunt.

Terebinthinæ. ℥ ij.

Fiat emplaſtrum.

SCHOLIA.

Ut ſuperiori hujuſce Sectionis cap. 5. docuimus portionem radicum, ſeminum, aquæ, ad infuſionem, ut ab his mucagines extrahantur, ſimili modo quantitas mucaginum huic emplaſtro præſcripta extrahi debet; deinde extractæ una cum oleo liliaceo

ceo, chamæmelino, anethino, & cera frustatim secta & cum oleis liquata ad eorum fere consumptionem incoqui, spatula lignea inter coquendum, ne urantur, celerrime agitari debent: quantitate autem consumpta, totumque ab igne semotum, fortiter agitetur, donec omnino intepidetur. Tunc quatuor gummi genera decocto chamæmeli, meliloti aut aceto vel vino per se soluta, coctaque, non ad naturalis humidi, sed ad decocti vel aceti, aut vini peremptionem, & cum quantitate terebinthinæ hic descripta incorporentur. Demum crocum optime pulverisatum absque ulla mistione (quia aliquando solent Pharmacopolæ tyrones amigdalas decorticatas ad colorandum & ad pondus augendum ponere) in medicamine ita parato adjunges, magdaleonesque ad usum effinges. Alii cum magdaleones effingunt, super marmore crocum aspergunt, quod minime approbo.

VIRES A MEDICIS QVIBVSDAM notatæ.

Maturat apostemata, & mollit duritiem, partim resolvit, & partim digerit, abstergitque saniem ruptorum apostematum & sanat Phlegmonas.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Emplastrum de minio, Ioannis de Vigo, quod lib. 5. practicæ compendiosæ, qui intitulatur de additione auxiliorum multorum facientium sub nomine unguenti ponit Vsuale.

Verus Ioannis de Vigo textus.

a ℞. Olei rosati.

b Olei myrtini.

Vnguenti populei. ana. ℥ iiij.

Pinguedinis gallinæ. ℥ ij.

c Sepi castrati.

Sepi vaccini. an̄. ℥vj.

d Pinguedinis porcinæ. ℥ vij.

a *Oleum rosatum factum ex olivis & rosis immaturis Mesuaque descriptionis, intellige. Sunt qui loco unc. iiij. lib. j. se. assumunt, sed male, ratione dosis mineralium.*

b *Oleum myrtinum simplex Mesuæ descriptionis accipe.*

c *Sepum castratum ex ove mascula sume.*

d *Pinguedinem porcinam dixit ad dif-*

ferentiam

e Vtriusque lithargyrii. ana. ℥ iij.

f Cerusæ. ℥ iiij.

Minii. ℥ iij.

Bulliant omnia simul baculo agitando lento igne donec acquirant colorem nigrum, quo facto ignẽ fortificando, iterum bulliant per dimidiũ horæ: deinde addãtur.

g Terebinthinæ clariss. ℥ x.

h Ceræ albæ quantum sufficit.

Et iterum bulliendo fiat ceratum molle.

ferentiam axungiæ quæ salita est & antiqua quam gallice (viel oing) dicimus: & legendum est unc. x. loco unc. vij.

e *Lithargyrium utrumque præparatum cape.*

f *Cerusam lotam intellige.*

g *Legendum est terebinthinæ unc. iiij.*

h *Ceram albam nullam licet addi, quia cera additur ad ligationem vel emplast. vel cerati, non autem ut vis habeatur: sed ut expertus sum, satis emplastica est hæc compositio sine cera.*

SCHO-

SCHOLIA.

Summa diligentia ſeparatim utrumque lithargyrium, ceruſa & minium ducantur ſupra porphyrium quouſq; optimam lævigationem, quemadmodum ſuperioribus emplaſtris docuimus, adepta ſint, interdum molula movendo, liquoreque compoſitioni convenienti aſperſo, ut faciliime in tenuiſſimum pulverem abeant. Liquor autem aqua roſacea erit. Deinde optime lævigata, una cum oleo roſaceo, myrtino, ſpatula lignea ad nutritionem in lebete amplo tractentur & ſuper prunas leves indeſinenter ſpatula agitando coquantur, donec parum concreſcant, & in compagem abeant. Mox pinguedinem porci & gallinæ injicies & percoques, eouſque dum coctio ſit in formam cerati & nigreſcere videatur. Tunc ſepum caſtratum, & vaccinum confractum ſimul ut liqueſcant impones. Quibus liquatis & ab igne depoſitis, populeonis unguentum conjunges, paulópoſt terebinthinam permiſcebis, hiſque omnibus ſimul mixtis, manibus tractando, & verſando magdaleones forbabis. Inſuper ſi ceram in hoc emplaſtro

plaſtro placet addere, ea quamvis non ſit opus, poteris fruſtatim inciſam addere, poſtquam mineralia abierint in compagem, aut ad mellis craſſitiem.

Minii.]

Diverſa apud authores omnes de Minio eſt opinio. Nos quid ſentiant, hic narrabimus. Alii idem cum cinnabari eſſe volunt. Dioſcorides cap. 69. lib. 5. diverſum quid à cinnabari eſſe vult, his verbis: Hallucinantur qui Cinnabarim Minio eandem eſſe exiſtimant, verum nullas illorum adfert differentias, niſi ratione loci, nec eorum naturam explicat, dicit enim minium *a* in Hiſpaniis ex quodam lapide argenteæ arenæ permixto temperari ſolere, alioqui non dignoſci: fornacibus vero in florentiſſimum & flagrantiſſimum colorem permutari: in metallis ſtrangulantem halitum eructare, ob idque incolas faciem veſicis obvelare, ne eo halitu infeſtentur: eoque pictores uti ad ſumptuóſa parietum ornamenta. *b* Cinnabarim vero ex Ægypto deferri, & magno conſtare, atque hactenus inveniri, ut verſicoloribus pictorum lineis ſatisfaciat, & hinc quoſdam exiſtimaſſe, ſanguinem eſſe draconis vimque

a *Minium ſecundum Dioſcoridem quid.* b *Cinnabaris ſecundum quoſdam quid.*

vimque habere eandem cum hæmatite lapillo: hæc Dioſcorides. *a* Quid vero ſit Cinnabaris, non explicat; unde variæ authorum ſententiæ. Plinius lib.33. cap.7. & Solinus cap.38. ajunt eſſe ſanguinem draconis, eliſi elephantorum morientium pondere, permixto utriuſq; animalis ſanguine. Totam hiſtoriam lege, apud Plinium cap.12.lib.8. qui nimirum in argentariis vult metallis inveniri, diverſiſque modis alterari. Sed quia Theophraſtus, & multi alii viri graves, Cinnabarim cum minio confundunt, de his ſimul dicemus: & primum de *b* minio factitio, cujus ſunt tres ſpecies. Prima fiebat ex arena quadam rubea & ſplendente, in Cilbianis agris prope epheſum, quam emolliebant, & abluebant & cinnabarim conficiebant, cujus rei author fuit Callias Athenienſis, qui coquens arenam illam, & exiſtimans ſe ex ea aurum poſſe conficere, minium confecit: & hæc ſpecies cinnabaris eſt, miniumque *c* artificiale antiquorum. Altera ſpecies fiebat ex plumbo aduſto, & vocabatur minium ſecundarium, eo quod ſecundum locum præſtantiorem obtineret.

a *Cinnabaris ſecundum Plinium & Solinum quid.*
b *Minii factitii tria genera. Minii factitii primum genus.* c *Minii factitii ſecundum genus.*

ret. *a* Tertia cinnabaris, seu minii species antiquorum erat, quam conficiebant ex illo lapide, qui vocatur anthrax (id est) carbunculus: qui lapis subrubri coloris est, in speciem ferri, & ex hoc lapide, (teste Vitruvio cap.8.lib,7.de architectura) crebræ lacrymæ argenti vivi emanant, quæ à fossoribus statim colliguntur; & dum coquitur maximam copiam argenti vivi emittit: quod argentum ubi extraxerunt lapidem iterum coquunt, & ex eo *b* Cinnabarim conficiunt. Triplex ergo antiquis Cinnabaris artificiosa erat. Una *c* ex arena rubra, alia ex plumbo usto, tertia ex anthrace lapide. Apud nos vero, duplex tantum est. Una, quæ fit ex longa coctione, artificio chimistarum, argenti vivi, & sulphuris: & Cinnabæris vel Cinnabrium apud nos pharmacopæos dicitur. Alterum minium in nostris officinis reperitur quod fit ex cerusa exusta, & nihil aliud est quam vera sandyx antiquorum cujus meminisse *d* videtur Plinius cap.6. lib.35. naturalis historiæ, & si Virgilius egloga 4. herbam esse putaverit hoc versu, Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos

a *Minii factitii tertium genus.* b *Cinnabaris secundum antiquos triplex.* c *Cinnabaris secundum neotericos duplex.* d *Sandyx antiquorum quid.*

agnos. Et hæc quidem de Cinnabari arte facta, quæ à Plinio, & Vitruvio minium appellatur. *a* Theophrasto vero, tria sunt naturalis minii genera. Unum fossile, durum, lapideum, ex fodinis argenti effossum quod in usu habetur, & officinis Cinnabaris fossilis dicitur. *b* Secundum sagittis decutiebatur ex altissimis, & inaccessis rupibus, quod nobis ignotum est. Tertium erat *c* cinis coloratus, qui in eisdem fodinis reperiebatur, & de hoc genere Cinnabaris loquuti sunt Græci, Dioscoride excepto. Unde Galenus lib. 9. de Simpl. medicament. facult. cap. 39. Cinnabaris modice acrem facultatem obtinet: habet vero astrictionis quippiam, & est metallicum quiddam, ideoque erodit. Dignoscitur autem cinnabaris vera à factitia & artificiali hoc modo. Accipe laminam ferream, ignitam, & super ipsam pone cinnabarim: deinde cum incanduerit, refrigerare permitte: si colorem retinuerit, vera est & nativa, si nigrescat, factitia & artificialis. Et (ut verum fatear) minium verum colore, & pondere, cinnabarim factitiam refert, quamquam nonnihil ea lucidius & lividius fit: ut videatur artem

a *Minii nativi tria genera. Primum genus.* b *Secundum genus.* c *Tertium genus.*

natura imitata: eſtque id minium ſapore acerbo & aſtringente. Quantum vero ad cinnabarim Dioſcoridis ſpectat, Matheolus in Dioſcoridem capite de cinnabari, & Fallopius tractatu de metallis ſeu foſſilibus, aliique recentiores, non vulgaris authoritatis viri volunt, ſanguinem draconis eſſe cinnabarim Dioſcoridis. Eſtque gummi colore & ſubſtantia ſanguini ſimile, quod non aliunde, quam ex Africa defertur, nec inde copioſum, pictoribus expetitum, ut intento ejus colore, purpureas rubenteſque concinnent umbras: quod viribus hæmatitæ lapillo omninò reſpondet. Nam (ut experientia docet) vi aſtringendi pollet, & majore quidem, quam hæmatites. Quod ſi plura requiras, lege Matheolum in Dioſcoridem loco ſupra citato.

VIRES A MEDICIS PROBATÆ.

Valet ad ulcera mala & antiqua, quod probatum fuit & expertum à Ioanne de Vigo.

CAPUT XIX.

Emplastrum Apostolicum ex vj. *particula secundi libri Præpositi Usuale.*

Textus verus.

a *Lithargyrum aureum accipe. Pro unc. Alexandrinus capit drach.*	*a* ℞. Lithargyrii. ʒ. vj.
b *Ceram rubeam, illam scilicet quæ tēdit in rubedinem, accipe: non autem rubeam factitiam.*	*b* Ceræ rubeæ.
	Colophoniæ. ana. ℥ ij.
c *Pro propoli cera citrina duplo pondere bene mellita magis eligenda venit: nam rubea non longe abest à propoli.*	*c* Propoleos.
	Visci quercini. ana ℥ j.
	Ammoniaci.
d *Lapidem calaminarem illum fossilem lapidosum, quē Albertus Magnus lapidem dæmonis ap-*	*d* Lapidis calaminaris. ana. ʒ vj.
	Mastiches.

pellat, lotumque hoc loco intellige.

Olibani. ana ℥. ß.

Mumiæ.

Terebinthinæ.

Bdellii.

Galbani.

Mirrhæ.

e Chalcoſecaumenu.

Sarrocollæ.

f Lepidos chalcu.

Dictamni.

Ariſtolochiæ rotũdæ.

Praſſii viridis.

Opopanacis. ana ʒiij.

Confice ſic. Galbanum, Ammoniacũ

e *Chalcoſecaumenos, eſt æs uſtum, vide infra.*

f *Lepis chalcu eſt ſquamma æris: ſcilicet ſquamma illa æris, quæ à Dioſcoride helitis, hoc eſt, clavaris nominatur: quam hoc in loco intellige vide infra videlicet in hoc capite.*

g *Per*

& opponax aliquantulum trita, ponantur in vino, ita ut bene cooperiantur per noctem, & mane bulliant, donec liquefiant, & per *g* cassiam colentur, & iterum bulliant usque ad consumptionem *h*. Deinde lithargyrium subtilissime pulverisatum cum sufficienti *i* oleo in caldario distemperetur, & super ignem ponatur, & cum spatula semper agitando tamdiu bulliat, donec super lapidem positum in modum ceræ, vel mellis inspissetur, & statim addatur cera. Et ea prius apponenda sunt, quæ magis humida, vel viscosa. Liquefacta cera, addatur colophonia, postea mastix & olibanum. deinde ponatur

g *Per cassiam cribrum intellige.*

h *Videlicet vini.*

i *Oleum vetus magis convenit quam recẽs pro scopo emplastri.*

natur myrrha, & facto intervallo ponatur bdellium, deinde viscus quercinus, & liquefacto visco ponatur terebinthina, & ea liquefacta, ponatur caldarium in terra, & tunc gummi in ipso paulatim ponantur, non cum impetu quia exundarent è stagnato: & iterum super ignem ponantur cum spatula agitando, & aliquantulum bullire dimittantur. Postea addatur sarcocolla, & consequenter lapis calaminaris: & facto intervallo flos æris, & lepis chalcu, posthæc chalcosecaumenon semper spatula agitando, donec rubere aliquantulum incipiat: ad ultimum dictamnus, & aristolochia rotunda super infundatur. Signũ decoctionis est, quando pars fusa in aqua frigida, moderate fit dura,

ra, & digitis malaxata non adhæreſcit: demum fundatur in aqua frigida, & aqua extractum manibus exprimendo ita tractetur, ut tota aqua exeat, & unctis manibus oleo laurino, magdaleones formentur, & uſui reſerventur.

SCOLIA.

Lithargyrium *a* tenuiſſime levigatum cum ſufficienti olei veteris quantitate nutriatur, & coquatur, perpetuo ſpatula lignea agitando donec ad craſſitiem, & conſiſtentiam mellis deveniat, in quod ita coctum, nec ab igne ſemotum, viſcum quercinum injice, parvaque mora interpoſita florem æris ſeu viride æs; (alii in fine mixtionis ponunt ſed melius initio) paulopoſt ceram minutiſſime confractam, ut liquefiat, injice, deinde vas ab igne depone, mox colophoniam, propolim, aut ejus loco ſuccedaneum commiſce, dein ammoniacum, galbanum, & opopanacem arte

a *Per ſufficientem olei quantitatem unc. ix. intellige.*

arte soluta, & ad humidi fere consumptionem cocta, simulque cum terebinthina incorporata addantur, optimeque misceantur: desuper chalcosecaumenum, lepis chalcu, & lapis calaminaris super porphyrio seorsim tenuissimeque lævigata inspergantur: statim aristolochiam rotundam pulverisatam, cribratam, & dictamnum immisce: postremo myrrham, olibanum mastichen & bdellium, si siccum sit, exacte pulverisabis: si vero molle, ut gummi genera dissolves, & cæteris admiscebis. Vltimo pulverem mummiæ & sarcocollæ. Ex quibus omnibus simul mixtis & incorporatis magdaleones finges ad usum super marmore oleo laurino inuncto, & manibus eodem oleo perunctis. In hoc vero animadvertendum lithargyrium non debere ad perfectam coctionem decoqui, propter quantitatem pulverum simplicium, qui ingrediuntur: nam si justam & legitimam concoctionem adeptum sit emplastrum, nimis siccum & aridum esset.

Chalcosecaumenos.]

Dictio est græca, latinis & pharmacopæis, æs ustum dicitur. Æs *a* autem ustum nihil aliud est quam cadaver æris. Nam si ad

a Æs ustum quid.

ad ignem iterum ponatur, non liquatur amplius, nec alia patitur, quæ æs pati solet, antequam comburatur. Est autem duplex, *a* duplicique fit ratione. Vnum quidem rubicundum, quod Venetiis affertur, non nobis copiosum, nec frequens in officinis nostris habetur, quod si digitis atteratur tingit ipsos, ac si esset cinnabaris: tale est, quod *b* Præpositus in hoc emplastro conficiendo intelligit. Quod hoc pacto fit. Accipe quantitatem sufficientem æris & in minutas parteis divide: quæ ponantur in fictili cocto absque operculo, constituaturque in furno fusorio, undique carbonibus accensis circumdetur, semper ignem continuando, donec æs rubicundum sit, postquam refrixerit, digitisque sit friabile, & contactu, ut cinnabaris, inficiat. Alterum vero officinis frequens nigrum est nihilque ad cinnabaris colorem accedens, *c* fitque secundum Servitorem hac methodo. Accipe limaturæ æris quantum volueris: adde sulphuris, & salis ana ℥ ij. quæ simul permixta ponantur in vase fictili non cocto. advette tamen vas satis amplum sumendum esse, ut ad dimi-

a *Æris usti duo genera.* b *Æs ustum verum, modus conficiendi verus non usitatus.* c *Æs ustum modus conficiendi ex Servitore usitatus.*

dium tantum repleatur, quo libere ſpiritus ſpatiari poſſint, diligenterque luto vel argilla obturetur, & circumliniatur, ne ſpiritus evaneſcant: ſicque vas præparatum fuſoriæ fornaci imponatur, & ſpatio unius diei, vel donec fictile ſit perfecte coctum dimittatur (quod aduſtionis ſignum erit) ſed, ut ſæpiſſime ſum expertus, ſine ſale & ſulphure poteſt æs uri. Nam ſi ſulphur & ſal ſecundum Servitorem addamus facile ut priori modo uritur, ſed magis nigrum redditur. Tandem antequam ad uſum aptetur, lotione quadam parari debet, quæ ſimilis ſit lotioni ſquammæ æris, de qua ſtatim dicemus. Cæterum animadvertendum ante uſtionem & dum à terra deductum, & ſeparatum eſt æs, licet remaneat purum, non tamen ita purum & ſincerum, quin aliquid adhuc excrementi retineat, ſed coctione excrementum illud deperditur. Materiaque eſt multorum ſimplicium à natura & arte factorum, qualia ſunt ipſum æs uſtum, ſpodia, diverſæ cadmiæ & pompholiges, flos æris, ſquamma æris, a ærugo raſilis, ſeu viride æs, ærugo ſcoletia, calcitidis genera circiter ſeptem, diaphryges, alumen ſchiſton. Tria genera Plinius facit lib. 24. cap. 2. ſic inquiens

a *Æs quorundam ſimplicium vera materia.*

inquiens. Unum candidum, argenteo nitori quam *a* proxime accedens, in quo mistura illa prævaluit: alterum in quo fulva natura, tertium in quo æqualis omnium temperies fuit. Præter hæc est æs, cujus ratio reddi non potest, suo colore pretiosum ad jocinoris colorem vergens, quod hepatizon Plinius eodem libro appellat. De æro usto & non usto hæc sufficient: nunc ad squammam æris accedamus.

Lepidos chalcu.]

b Latinis squamma, vel battitura æris nominatur. Est autem superficialis pars & summa æris, combusta. Quæ fit duobus modis. Uno *c* dum æs ignitum, malleolorum ictibus decutitur: id enim quod ex ære ipso erumpit, & ab incude in terram cadit squamma vel battitura æris est. Altero, dum æs ignitum extinguitur in aqua, qua extinctione fit, ut squamma concidat in aquam, & cum resederit in vasis fundo, squamma *d* appellatur. Dioscorides lib. 5. pariter duas æris squammæ facit species, de quibus his verbis disserit. Probatissima æris squāma est, quæ in cypriis æris excutitur ex clavis cyprio ære confectis, crassa,

a *Æris tria genera secundum Plininm.* b *Squamma æris quid.* c *Squamma æris duplex.* d *Squamma æris secundum Dioscoridem duplex.*

crassa, & helitis, id est, clavaris, proprie dicta, alia quæ ex vulgari ære candido conficitur, tenuis, infirma, quam nos reprobamus. De his duabus scripsit Galenus lib.9. de Simpl. *a* medicament. facultatibus. Et Paulus ægineta lib.70. & Ætius lib.2. Legitima autem, quam nos hoc in loco intelligere, debemus, illa est, quæ helitis appellatur quæ probatur crassa, rufa, præsertim *b* si aceti respersu æruginem contrahat: quæ sane ante usum, propter mordicationem, & vim erodentem, hoc pacto lavari debet. Superficiales partes æris siccas quantitate sufficiente accipito, easque optime tere, tritas figulinæ paropsidi impone, deinde super prunas leves apponantur, ut aliquantulum torreantur, ærea rudicula movendo ad viscidum attenuandum (nam Galeni sententia metalla omnia habent aliquam visciditatem) torrefactas, ter aut quater in mortario marmoreo, pistillo ligneo tractando, cum aceto acerrimo ablue, abjiciendo, & innovando tamen quacumque vice acetum: dejecto aceto, siccari permitte, & ut siccentur, ista præparatio diebus calidis, seu canicularibus fieri debet, siccatæ iterum vino albo odori-

a *Squamma æris electio.* b *Squamma æris lotio vera.*

odorifero bis aut ter, ut prius laventur, & sub dio deficcentur: deficcatæ ter, aut quater, rursus aqua rosacea, ut removeatur sapor aceti, & vini colluantur, colutæ sole arefiant. Ita arefactæ, & ablutæ omnem vim erodentem a amittunt, sicque in eis pura remanet caliditas. Dioscorides lib. 5. cap. 49. squammam hac methodo abluit, siccæ squammæ æris quantitatem quam lubet, in mortario, vel alio vase collocabis, aquam pluvialem nitidam desuper infundendo manu diu agitabis, & confricabis, deinde hanc impositam aquam fæculentam, & sordidam abjicies, aliamque puram affundes, manu ut prius fricando, ut si quæ fæces & sordes ex priori lotione remanserint, hac secunda depurgentur, & cum aqua abjiciantur. Tunc videbis, an squamma sit omnibus sordibus repurgata, quod si non satis tibi videatur, quo superius modo, lotiones reiterabis peractis lotionibus, manibus squammam æris comprimes, ut ab aqua depuretur, quæ si pura sit, squammam optime lotam esse credito deinde illam vase quodam linteo cooperito, ne aliquæ sordes incidant, ad deficcandum expones & ad usum repones. Plinius inquit squammam abluendam esse ut abluitur

a *Squamma æris lotio ex Dioscorides.*

luitur cadmia. Tamen consulo, si quis eam velit abluere, ut abluat secundum primum modum à nobis descriptum qui parum evariat à modo tradito à Galeno, propter rationem quam supra diximus quia per hujusmodi lotionem amittit vim erodentem, & remanet pura caliditas: sed si abluatur ea ratione quam docet Dioscorides, & Plinius, nullo modo vis erodens ab ea auferetur: lavantque eam ut solummodo sordes abjiciantur. *a* Cæterum id notandum erit cum abluitur, sæpissime oriuntur duo genera. Unum, quod vocatur flos squammæ, quæ pars est tenuior squammæ. Alterum vero, quod residet in fundo vasis, sedimentum squammæ dicitur, quæ est pars crassior. Hactenus de squamma æris ea enim sunt quæ ab authoribus accepimus.

Prassii viridis.]

Quamvis ex authoris sententia in hujus emplastri componendi methodo, pro prassio viridi sumendum videatur viride æs (ut nos pharmacopœi semper interpretari solemus) si quis tamen pro animi arbitrio prassium pro marrubio legere velit, non longe recedet à scopo confectionis: quia ad vulnera maligna & curatu difficilia

a Squamma æris abluta duo genera.

cilia usurpatur, quemadmodum & marrubium eandem vim habere dicitur secundum Galenum lib. sec. gen.

VIRES A DOCTISSIMIS notatæ, & præcipue ab Alexandrino.

Auxiliatur cervicis dolori:& scrophulas sæpius usurpatum maturat, rumpit, & cicatrizat, ut indicium cicatricis non appareat. Aliquando etiam diaphoresim faciendo tales collectiones sine eruptione sanat. Apostemata in pectore, seu in pulmone, in stomacho aut in hepate, in diaphragmate, vel sub costis nata, assidue inductum maturat, & rumpit, tumores & durities splenis solvit. Et adhuc plura facit si perquiras Alexand. lib. de composit. medicament secundum locæ cap. 285.

CAPUT XX.

Emplastrum pro stomacho, incerti authoris, in officinis tamen Usuale quod Præpositus in additione particulæ vj. lib. 2. inseruit.

Verus Præpositi textus.

a *Rosas exunguatas intellige.*

a ♃. Rosarum rubearum. ℥ j.

b *Ab-*

b Absinthum commune & siccum accipe.
c Mentham nostram vulgarem siccam accipe & per manipulum hoc in loco unc. sem. intellige.
d Spicam indicam sume.

b Absinthii.
c Menthæ. ana M. j.
d Spicæ.
Cinnamomi.
Ligni aloes. ana ʒ. ß.
Galangæ.
Calami aromatici. ana ʒ ij.
Cariophyllorum.
Macis. ana ℥ j.
Masticheſ. ℥j. ß.
Styracis Calamites. ℥ ij.
e Ladani puri.
f Ceræ. ana ℥ vij.

e Ladanum purum & molle intellige, nam Galenus lib. secundum genera cum loquutus est de ladano, de molli semper intellexit.
f Ceram flavam cape.

g *Oleum*

Terebinthinæ. ℥ j.

Pulverisanda pulverisentur, deinde irrorentur cum vino cotoneorũ & in mortario conterantur: & fiat cerarum cum

g Oleum de spica nardi, & myrtillorum Prepositi descript. & legẽdum est. ana unc. j.

g Olei de spica nardi.

Olei myrtillorum.ana ℥ iij.

In mortario calido cum pistillo calido.

SCHOLIA.

Ladanum purum in minutissimas partes divisum cum oleis de spica nardi & myrtillorum igne maxime lento liquabis, postea ceram in partes confractam injicies: qua liquata ab igne removebis, tum terebinthinam infundes, a deinde styracem mollefactum conjunges. Sic autem styracem mollem reddes: in mortario modice calido,

a *Styracis mollitio.*

do, pistillo pariter calido styracem tractabis, vino aut succo cotoneorum modice paulatim asperso donec mollescat. Quibus ita paratis pulveres simplicium præscriptorum simul, vel per se pulverisatorum ex artis præscripto projicies. Demũ totam massam in mortario modice calido & pistillo calido diligenter tractabis, ita ut nullum ab altero secerni possit. Sicque emplastrum arte quam maxime elaboratum habebis. Notandum tamen simplicia dum teruntur, vino, & cotoneorum succo madefacienda, & aspergenda esse ne subtilior pars tenues vanescat in auras. Quod si, istud emplastrum in forma solida conficere velimus ℥ ij. ceræ addendæ erunt, aut dosis oleorum minuenda, & olei de spica nardi & myrtillorum ana ℥ j. affundenda. Si vero in forma cerati liquidi, vel unguenti, authoris descriptio erit imitanda. Sed ut verum fateamur in nostris officinis in emplastri formam conficimus, & habetur paratum.

VIRES A MEDICIS DESIGNATÆ.

Efficax ad temperiem ventriculi frigidam & humidam, aëre præsertim frigido quod

quod vitium sæpissime apud quasdam regiones & cœli & intemperantis ingluviei ratione late serpit.

CAPVT XXI.

Emplastrum de meliloto Mesuæ ex distinctione xj. *de unguentis & emplastris Usuale.*

Mesuæ vera descriptio.

a *Melloti summitates intellige.*

b *Grana lauri excorticata sume.*

c *Absinthium vulgare accipe, vel illud descriptum à Mesue.*

a ♃. Melioti. ℥ vj.

Florũ chamæmeli.

Seminis fœnugræci.

b Granorum lauri.

Radicum altheæ.

c Absinthii. ana ℥ iij.

Seminis apii.

d Cordumeni.

Ireos.

Cyperi.

e Ammeos.

Spicæ nardi.

f Caſſ. ligneæ. ana ʒ j. ß.

g Sampſuchi. ʒ iij.

Ammoniaci. ʒ x.

Styracis calamitæ.

Bdellii. ana ʒ v.

Terebinthinæ. ℥ j. ß.

d *Per cordumenum ſemen carvi accipe. Fuſchius, Cordus, & Sylvius loco cordumeni, cardamomum habent.*

e *Ammeos ſemen intellige.*

f *Per caſſiam ligneam noſtrum vulgare cinnamomum intellige: legendumque eſt ana drachm. ij. ſec. loco drach. j. ſem.*

g *Per ſampſuchum majoranam intelligit author.*

h *Ceram*

Ficuum pinguium, num. xij.

Sepi Caprini.

Resinæ. ana ℥ ij. ß.

h Ceræ. ℥ v.

i Olei samsuchini.

Olei de Spica quantum sufficit.

k Aquæ decoctionis fœnugræci.

Chamæmeli.

Meliloti quantum sufficit.

Ad infundendū infusione diligenti: misceantur & conficiantur.

h *Ceram flavam accipe, alias unc. vj.*

i *Oleum de Sampsucho & de spica nardi Mesuæ descript. intellige & per quantū sufficit accipe ana unc. sem. alii ana unc. j. ponunt.*

k *Aquæ decoctionis fœnugraci chamæmeli & meliloti videlicet unc. xij. secundum authoris intentionem, cum dicit quantum sufficit. In aliis descriptionibus non legitur aquæ decoctionis fœnug. chamæmeli & melioti quod sufficit ad infundendū, sed in oleis infundi & macerari materialia volunt: non est tamen id meo judicio præter rem.*

SCHO-

SCHOLIA.

IMprimis neceſſarium (ut ſingula quam optime in hoc emplaſtro præparentur) quædam ſimplicia, emplaſtrum ingredientia, triturare & contundere, unumquodque ſuo ordine convenit. Nam minutim cyperus ſecandus & obiter contundendus, deinde radices althææ mediocriter ſiccæ ac inciſæ, fœnugræcum, iris & caſſia lignea leviter, quater, aut quinquies piſtillo tundenda, tum ſpica nardi in tenuiſſimas partes inciſa addenda, deinde baccæ lauri & ſemina omnia, folia & flores, ut abſinthium, ſampſuchum, melilotum, chamæmelum: paulopoſt ſtyrax. alii radices althææ & fœnugræcum ſeparatim cum decoctione a ſufficienti fœnugr. chamæmeli, & melliloti infundunt ut ex eis mucaginem habeant deinde mucaginibus extractis cum ficubus tuſis conjungunt; pariter ſtyracem cum pauca decoctione prædicta molliunt & poſtquam gummi genera

a *Per ſufficientem decoctionem duplum aut triplum ſic intelligendum eſt: ſi ſint* v. *drachmæ mollis bdellii.* & *drach.* x. *ammoniaci.* iiij. *aut* vj. *decoctionis prædictæ, aut aceti unciæ ſunt neceſſariæ.*

ra ſoluta ſint, cum cera & ſepo conjuncta & incorporata compoſitioni addunt) quæ omnia ſimplicia acurate trita & per cribrum tranſmiſſa ſervabis, donec cætera ſint præparata. Deinde ammoniacum & bdellium (ſi molle ſit) ſeparatim infundes in quantitate ſufficienti decoctionis prædictæ (ſi vero ſiccum ſit bdellium) in pulverem redigendum• erit ſuoque ordine, nempe poſt ſtyracem imponendum. Alii in aceto fortiſſimo ad duplum vel triplum, ut commode ſolvantur, imbuunt, & ad humidi conſumptionem lento igne coquunt. Alii ammoniacum cum prædictis ſimplicibus in pulverem redigunt, quod facillime poteſt pulveriſari, ut experientia nos docuit, verum præſtat diſſolutio quam trituratio. Quibus ſolutis & coctis terebinthina admiſceatur, tum hæc gummi ſeparatim, ut pulvis prædictus, ſervantur. Poſtea ficus minutim inciſæ in mortario lapideo cum piſtillo ligneo terantur paulatim adjecta pauca decoctione fœnugr. chamæmeli & meliloti inter tundendum, deinde ſuper cribrum inverſum & anguſtum cochleari averſo tranſcolentur ad partemque, ut ſupradicta, ſerventur, donec ſimplicium omnium præparatorum commixtionem facias. Alii ficus in ſubſtantia

cum prædictis simplicibus tundunt quod re vera alienum est à vera methodo. His itaque sic paratis massam emplastri in hunc modum conficies.

Ceram frustatim igne lento, baculo movendo liquabis: qua liquata sepum caprinum pariter divisum injicies, paulopost resinam pulverisatam, quibus eliquatis, ab igneq; semotis & parum refrigeratis gummi prius præparatorum una cum styrace & pulpa ficuum conjunges, movendo ut prius baculo: ad ultimum vero pulveres jam paratos addes; demum cum omnia optime commixta & incorporata fuerint, totam massam pones in mortario cum pistillo modice calido, spatio duarum horarum contundes ut conveniens omnium fiat mixtio, vel ut facilius permisceantur, addendo oleum nardinum & sampsuchinum. Deinde magdaleones formabis.

Cavendum tamen in hoc parando ne plus olei quam par sit ponatur alioqui tenerum ac molle esset emplastrum. Præterea si quis in hoc mucagines ex semine fœnugræci, radicibus althææ, pro eorum substantia usurpare velit, diligenter animadvertat ne coctæ & transcolatæ pondus excedat simplicium ex quibus fiunt quod itidem in ficubus observandum si ex eis mu-

cagines

cagines conficia,squod ſane ut diximus eſt præter artem manuariam:rurſus doſis aquæ decoctionis chamæmeli & mellilotí, à nobis in margine deſcriptionis hujuſce emplaſtri ſcripta, ſufficere videtur ad macerandaea quæ macerari debent, ſive ad diſſolutionem gummi, ſive ad mucagines extrahendas: ſi vero velit pharmacopœus tantum diſſolutionem gummi, minuenda erit doſis decoctionis prædictæ, ſufficientq; ana ℥ x. Quare diligenter perpendat antequã hoc emplaſtrum aggrediatur utrum malit ſubſtantiam totam quorundam ſimplicium, vel mucaginoſum liquorem.

VIRES A MESVE DESCRIPTÆ.

Mollificat emplaſtrum de meliloto omnem duritiem, quæ eſt in ſtomacho, & hepate, & ſplene & cæteris viſceribus.

CAPVT XXII.

Emplaſtrum pro matrice authoris incerti, quod à Præpoſito in fine vj. *particulæ additionis lib.* 2. *deſcribitur Vſuale.*

Præpoſiti, veri textus, quarta pars.

℞. Radicis biſtortæ. ℥iij.

Ligni aloes.

Santali moſchatelini.

a Nucis moſchatæ.

Berberis.

Antheræ. ana ℥ ij.

Cinnamomi.

Cariophyllorum.

Schœnanthi.

a In aliis codicibus nux moſchata omittitur.

b *Thus*

Florum Chamæmeli, ana ʒ j.

b Thuris.

Mastiches.

c Aliptæ moschatæ.

d Galliæ moschatæ.

Styracis calamitæ.

e Styracis rubei. ana gra. xv.

Moschi. *f* gra. vij. ß.

Ceræ Citrinæ. ℥ iiij. ß.

Terebinthinæ. ʒ j. ß.

g Ladani puri. ℔. j.

h Picis navalis. ℥ ix.

Fiat Emplastrum.

b *Thus musculũ seu olibanum intellige.*
c *Aliptam & d Galliam moschatam intelligit Præpositus illas confectiones quas in suo libro descripsit, & quas etiam trochiscos de alipta & de gallia moschata appellat.*
e *Styracis rubei in aliis legitur ana drach.* vj.
f *In alio legitur scru,* ji. *gran.* v.
g *Ladanum molle ut monet Galenus accipe.*
h *Picem illam quam hac Sect.* 1. *cap.* 10. *monuimus accipere, intellige.*

SCHOLIA.

Cera confracta, & ladanum divisum, cum unciis duabus olei convenientis compositioni (oleum vero nullum capit hæc descriptio, quale autem debeat sumi, dubitari posset; nam si agatur de suffocatione matricis, oleum gagatis aut ruthæ sumi potest, sin quæstio est de frigiditate & humiditate matricis corrigenda, nardinum magistrale, aut chamæmelinum sufficere potest) igne lento, spatula lignea agitando liquentur: liquatis, nec ab igne depositis, picem *a* navalem colatam, ut liquescat impone, mox cum ab igne deposueris, terebinthinam, & styracem calamitam cum oleo dicto solutam: cum vero hæc omnia optime liquata & commixta fuerint, & aliquid caloris deposuerint, reliquorum simplicium pulveres arte præparatos in hæc insperges, simulque commiscebis, ut radicem bistortæ, santalum, lignum aloes, schœnanthum, chamæmelum, antheram, berberim, cariophylla, cinnamomum, nucem, galliam & aliptam moschatam, styracem rubeam, statim pulverem tenuissimum mastiches, & oli-

a. *Picem colatam, videlicet à sordibus defæcatam.*

& olibani, celerrime movendo, addes: paulopost moschum, liquore minime unctuoso dissolutum, conjunges: cumque omnia fuerint optime commixta & subacta, totam massam in amplũ mortarium metallicum, modice calidum, mitte, & probe pistillo ferreo mediocriter calido tundito, ac tractato, donec perfecte in unum coeant: demum magdaleones ad usum fingito.

Notandum tamen erit, multos pharmacopolas esse, qui alia utantur methodo, quam & si adhuc nõ observaverimus, eam tamen non improbamus: hæc autem talis est. Ceram igne lento liquant, deinde picem navalem percolatam addunt, postea ab igne deponunt, & terebinthinam infundunt, statim pulveres simplicium ordine commiscent: deinde cum omnino hæc refrixerint, pulverem thuris & mastiches projiciunt, spatula semper ducendo, unamque massam conficiunt, quam servant, donec ladanum sit liquefactum, ut facilius tota massa prædicta cum ladano misceatur. Sic autem ladanum molle & liquidum reddunt. Ladanum frustatim incidunt, & in mortarium satis calidum projiciunt, ac pistillo satis calido cotundunt, & parum olei convenientis compo-

ſitioni affundunt, deinde magdaleones ad uſum conformant.

Cæterum (verum ſi fateri licet) vix hæc omnia poſſunt commiſceri, niſi aliquid olei compoſitioni convenientis addatur, ut multoties ſumus experti quare quantitatem à nobis deſcriptam retinendam eſſe exiſtimamus.

VIRES A MEDICIS PRObatæ.

Uteri imbecillitatem firmat, procidentiam reprimit, muliebribuſque viciis ex nimia humorum copia optime ſuccurrit, & locorum immoderatos motus ſiſtit.

DE VNGVENTIS

SECTIO II.

HACTENVS Ceratorum, & Emplastrorum in officinis nostris passim prostantium, simulque illorum materiam seu subjectum, necnon componendi methodum, qua potuimus diligentia, & sedulitate pertractavimus. Reliquum est ut de unguentis breviter percurramus: quorum subjectum non aliud est quam ceratorum & emplastrorum ut antea his verbis explicuimus. Neque enim inter se tam eorum ratione differunt, quæ ipsa ingrediuntur, quam consistentia:

nam quæ ingrediuntur cerata, etiam in emplaſtris & unguentis admittuntur. His itaque ſic definitis & conſtitutis ad unguentorum conficiendorum methodum accedentes, ab unguenti primum definitione exordiemur. Eſt autem *a* unguentum, mollis quædam confectio, ex ſtirpium partibus, metallicis, mineralibus, terra, & animalium partibus, mediæ inter cerata & linimenta conſiſtentiæ, quæ omnia præparantur & miſcentur ad unguentum conficiendum, eadem methodo, quæ prius à nobis deſcripta eſt in ceratis & emplaſtris. Fit autem *b* unguentum duplici modo, videlicet cum igne, & ſine igne, cum igne, ut omnia unguenta, & conſimilia quæ multa ſimplicia, ut ceram lithargyrium, axungiam recipiunt: ſine igne, ſola nutritione & ſubactione, ut nutritum ſeu tripharmacum. Differtque *c* unguentum à linimento, quia in unguento con-

a Vnguentum quid. b *Vnguentum duplex.* c *Vnguenti & linimenti differentia.*

conficiendo ponitur olei uncia una, pulverum ℥j. ad summum ℨ j. ß. ceræ ℨ ij. vel ℨ iij. Tamen hodie componentis arbitrio relinquitur dosis ceræ, & à medicis sic (ceræ quantum sufficit) scribitur: dum modo serveturconsistentia corporis crassioris in unguento, liquidioris in linemento. Linimentum a enim est mollius unguēto & componitur ex his, quæ unguenti compositionem ingrediuntur cum minori cera, vel incrassantium portione, vel absque speciebus. Proportio linimenti est, ut pro olei uncia una, ponatur ceræ ℨ j. Alii sextam partem unciæ ponunt: & cum aliquid siccum miscetur, de cera nonnihil detrahitur, sed sæpissime conficitur cum cera & oleo, sine pulverum commixtura. Demum, ut nunc, quæ antea diximus, dilucidius intelligantur, singulatim unguenta à nobis Pharmacopœis usitata, & cognita, explicanda suscipiemus.

a *Linimentum quid.*

CAPUT I.

Unguentum album authore Rhasi cap. 130. lib. 1. divisionum.

Rhasis verus textus.

a *Cerusam lotam intellige.*	*a* ℞. Cerusæ albæ.
b *Oleum rosatum immaturum accipe.*	*b* Olei rosati.
c *Ceram ponticam naturaliter albam author intelligit, quæ sine acrimonia est.*	*c* Ceræ albæ.
	Fiat unguentum.

SCHOLIA.

Rhasis eo in loco nullum pondus simplicium prædictorum scribit, nec tamen vult aliud unguentum, quam aliis usitatum, describere, sed pondera libera artificibus reliquit qui artem norunt. Quantitas autem simplicium à Præposito vera definitur, in additione lib. 2. particula xx. ex illius præscriptio in officinis nostris paratur, usuique est

est apud omnes. Talis autem *a* est ejus descriptio quarta parte. ℞. olei rosati ℥ ix. cerusæ albæ ℥ iij. ceræ albæ ℥ ij. Confice sic. Manu fricetur super cribro tenuissimo cerusa, ut transmittatur: transmissa in mortario metallico spatio aliquot horarum friando lævigetur, ut magis reducatur in pollinem. Deinde superinfunde ceram liquatam in balneo Mariæ cum oleo rosaceo: Tum ducantur hæc atque agitentur (dum calent) celerrime, pistillo ferreo, quousque omnia sint probe commixta. Et hoc modo unguentum erit paratum: quod ad usus necessarios recondes.

Alii alio methodo utuntur, nam ultra descriptionem prædictam, ovorum albumina, alii lithargyrium, alii mucaginem tragacanthi, alii camphoram secundum morbum addunt.

Cerusæ.]

Plurimi cerusam definiunt esse ærugninem aut cinerem plumbi. *b* Tamen, ut inquit Dioscorides lib.5. cap 63. Cerusa nihil aliud est, quam plumbum nigrum acerrimi aceti halitu liquatum & incrassatum & post in mola tritum, denuoque cri-

a *Vera descriptio ipsius unguenti ponderibus restituta.*
b *Cerusa secundum Dioscoridem quid.*

cribratum & in tenuissimum pulverem resolutum. Modum autem conficiendi lege apud eundem Dioscorid. lib. & capit. citato. De lotione, electione, & repositione satis aperte in prima Sectione hujus libri capite 12. diximus. De viribus & facultatibus, cõsule Serapionem lib. aggreg. cap. affidhegi & Avicennam lib. 2. capite de cerusa. Plinium quoque lib. 34. cap. 18. & lib. 35. cap 6.

VIRES A MEDICIS NOTATÆ.

Adversus ulcera, scabiem & adustionem pollet.

CAPVT II.

Vnguentum Tripharmacum seu nutritum ex xj. *distinctione Mesuæ de unguentis & emplastris Vsuale.*

Vera Mesuæ descriptio.

a ℞. Lithargyrii triti sicut alcool. P. j.

a *Lithargyrium aureum lotum accipe: alii non lotum accipiunt.*

b *Olei.*

& funde ſuper ipſum, nunc

b Oleum.

nunc

c Acetum.

Et terantur & adæquentur & proprie quantum ſufficit.

b *Olei roſati non completi, parteſque duas intellige.*

c *Aceti roſati partem ſemiſſem cape. Alii partem unam vel duas & hoc fit ſecundum defenſionem inflammationis. Nonnulli ſecundum Galeni mentem vinum loco aceti ſuper affundunt, quibus intentio eſt digerendi cum aliqua aſtrictione: alii aquam vel ſolatri vel roſarum aut fontis loco aceti aut vini affundunt quibus eſt ſcopus ſimpliciter refrigerare ſine ulla penetratione.*

SCHOLIA.

Meſues neque olei neque aceti quantitatem definit cum his verbis utitur funde deſuper nunc oleum, nunc acetum &c. Exiſtimo Meſuem quantitatem olei & aceti reliquiſſe arbitrio artificis, pro ratione uſus unguenti; nam quia hoc unguentum ſæpiſſime

pissime usurpatur ad defensionem inflammationum quæ aliquando leves, aliquando vehementiores sunt: tamen hoc non impedit, quo minus illud unguentum in nostris officinis præparatum habeamus. Cujus descriptio talis est, ponderibus definita. ℞. Lithargyrii aurei coloris triti & loti a (secundum scopum) P j. olei rosati immaturi P. ij. aceti rosati P. ß Confice sic. Lithargyrium tritum & lotum in mortarium plumbeum conjice, illudque cum quadam parte olei pistillo plumbeo agita & tracta, quousque lithargyrium justam crassitiem consequutum sit: tunc paulatim aceti portionem aliquam infunde, & ut prius tracta, donec acetum sit cum lithargyro & oleo commixtum; denuo residuum aceti & olei affunde subagitando, videlicet nunc acetum, nunc oleum, donec totum acetum & oleum lithargyrium imbiberit, & unguenti formam adeptum fuerit. Deinde fictili pixide ad usum serva.

Caveat tamen, Pharmacopola, illud cum volet præparare, initio multum olei & aceti super lithargyrium affundere, ne submergatur: nam cum submergitur nunquam

a Per Part. j. lib. j. vel unc. j. vel drach. j. vel scrupu. j. intellige, vel aliud quodvis pondus.

quam consistentiam unguenti *a* adipiscitur, nec incorporati potest. Et ideo nutritum vocatur ex conficiēdi methodo (quia est lithargyrii quædam nutritio) sitque solicitus hoc unguentum subagitare spatio unius diei si quam optimum & probe ligatum velit habere.

Lithargyrii auri.]

Lithargyrium, & auri vel argenti spuma, idem sunt. Satis copiose diximus de illius lotione in Sectione prima capit, 2. Nunc de materia, variis generibus & extinctione (si in aliquo loco extinctio desideratur) dicendum venit. Lithargyrium non effoditur, nec reperitur naturale, sed paratur ex multiplici materia opportuna, quæ non unica ab authoribus proponitur. Videlicet, unam esse ājunt arenam plumbarem, aliam argentum, aliam plumbum, alteram aurum, alii unicam esse materiam, quod est plumbum, alii galenam esse materiam lithargyrii, tamen pro diversitate materiæ diversa acquirit nomina. Sed antequam ultra progrediamur illud definiamus. *b* Est autem lithargyrium, secundum quosdam spuma argenti continens adhuc aliquid argenti, vel plumbum exustum

a *Vnguenti denominatio.* b *De Lithargyrio varia opiniones.*

uſtum cum auro vel argento, cujus eſt uſus nobis frequens in unguentis & emplaſtris. *a* Sed ut verum fateamur. Materia lithargyrii eſt plumbum exuſtum cum argento, vel cum auro in catinis, in quibus concreſcit & colliquatum eſt argentum vel aurum, non autem ex argento vel *b* ex auro, tanquam materia, ſed colorem argenti vel auri referens. Tres ſpecies facit Dioſcorides lib. 5. cap. 62. Plinius pariter lib. 33. cap. 6. Una, quam molybditim vocamus, altera argyritis, & chryſitis: Tertia plombago ceu molybditi dicitur. Fit autem prima ſpecies, quam molybditim appellamus ex arena in fornacibus *c* conflata, cum perfectè igni incanduerit. Argyritis ex argento fit. *d* Chryſitis ex auro, non quod ſit ex argento, vel ex auro, ſed quia argenti vel auri colorem refert. *e* Plumbago ceu molybdena fit ex laminis plumbeis, hodie apud nos Pharmacopæos uſitata. Præſtantiſſima omnium eſt Chryſitis, quæ fulvo colore ſplendet. Quod ſi plura requiris, lege Georgium Agricolam lib. 9. de natura foſſilium. Si

quis

a *Lithargyrii vera materia.* b *Lithargyrii ſecundum Dioſc. & Plinium tres ſpecies.* c *Molybditis quid.* d *Argyritis & Chryſitis quid.* e *Plumbago ceu molybdena quid.*

quis vero lithargyrio extincto egeat, sic extinguat.a Accipe lithargyrium, & frange minutim ad quantitatem nucis, & in crucibolo fusorioque furno ut ignetur, & in modum prunæ ardentis rubeat, expone. Deinde extrahe, illudque in aceto, aut vino fortissimo, aut liquore morbo convenienti extingue: hocque ter aut quater iterabis innovando acetum aut vinum, aut liquorem convenientissimum, sicque lithargyrium extinctum ad usum habebis, si requiratur.

VIRES A MESVE ET A QVIBVSdam Neotericis descriptæ.

Facit nasci carnem in ulceribus & consolidat eam. Ad Phlegmonas & erysipelata potissimum admovetur, habetque vim reprimendi & desiccandi.

a *Lithargyrii extinctio.*

CAPVT

CAPUT III.

Unguentum aureum Mesuæ ex xj. *distinct. de unguentis & emplastris Usuale.*

Mesuæ vera descriptio.

a *Oleum olivarum, vetus & maturum accipe, in alio lib.* ij. *se. habetur, sed melius lib.* ij.

℞. Ceræ citrinæ. ℥ vj.

a Olei boni. ℔. ij.

Terebinthinæ. ℥ ij.

Resinæ.

Colophoniæ. ana ℥ j. ß.

Olibani.

Mastiches. ana ℥ j.

Croci. ʒ j.

SCHO-

SCHOLIA.

IN vase ceram frustatim divisam, una cum quadam olei portione igni levi ad liquandum expones: qua liquata, resinam, & colophoniam confractã injicies ut simul fundantur. Tum ab igne sepone, & statim terebinthinam infunde: quibus quam optime refrigeratis, olibanum & mastichem per se pulverisata immisce, spatula lignea ducendo. Postremo crocum cum reliqua portione conjunctum, vel si mavis dissolutum conjunges. His omnibus commixtis usui reserva: animadvertendum tamen, plures Pharmacopœos illud conficere absque olibano, mastiche & croco ob nimios sumptus. De simplicibus nihil dicemus cum in Sect. prima abunde ea tractaverimus.

VIRES A MESVE PROBATÆ.

Curat, & solidat plagas & est sanum & expertum.

CAPUT IV.

Unguentum basilicon minus Mesuæ ex distinctione xj. de unguentis & emplastris Usuale.

Verus textus Mesuæ.

	℞. Resinæ.
a *Picem nigram intellige.*	*a* Picis.
b *Ceram citrinam accipe.*	*b* Ceræ. ana.
c *Oleum olivarum vetus & maturum cape.*	*c* Olei quantum sufficit.

SCHOLIA.

Pondera simplicium omisit Mesues, pariter Fuchsius & Præpositus, quam quidem descriptionem ex Mesue desumpserunt. Tandem ut experientia docuimus, ponderum certus numerus à nobis restitutus fuit, ut ex sequentibus descriptionibus videre

dere licebit. ℞. resinæ, picis nigræ, ceræ citrinæ ana ℥ ij. ß olei veteris olivarum maturi ℔. j. ß. si durior ℔. j.

Alii recipiunt resinæ picis ana ℥ ij. ceræ citrinæ ℥ iiij. olei veteris olivarum maturi ℔. j. ß. vel ij. Utraque dosis optima. Confice sic. Maturum & vetus oleum in lebete amplo simul cum cera in frusta divisa igne lento, spatula lignea ducendo liquefac: qua liquata resinam & picem percolatam confractamq; impone, ut liquefiant, quibus liquatis & refrigeratis reconde.

VIRES A MESVE SCRIPTÆ.

Conveniens est in principio ulcerum nervosorum, & est virtute sua minoris calefactionis, abstersionis & consolidationis quam magnum, immediate dictum.

CAPVT V.

Vnguentum Ægyptiacum magnum seu de melle, xj. distinctione de unguentis & emplastris Mesuæ Vsuale.

Mesuæ verus textus.

a *Flos æris à nobis satis in prima Sectione cap. 9. explicatus fuit, sed quia caremus dicto flore, viride æs sumendum erit.*

b *Per aureum intellige drach. j. sem. hoc in loco atque etiam apud omnes arabes. Tamen exacte inquirere oportet quantum aurei pondus, drachma pondus exuperet, & videtur tantum exuperare scrup. se.*

a ♃. Floris æris *b* Aur. v.

Mellis Aur. xiiij.

Aceti fortis Aur. vij.

Coque super ignē donec inspissetur: & sunt qui addūt ei.

Olibani masculi triti. Aur. ij. ß.

SCHOLIA.

IGne lento mel cum aceto & flore æris aut viridi ære pulverisato (quod inter pulverisandum pauco aceto aspergi debet, ne feriat nares) ad aceti consumptionem coquatur. His omnibus coctis & omnino refrigeratis, olibanum probe pulverisatum immisce, semper spatula lignea agitando, ut melius commisceatur: Vas autem in quo mel & flos æris vel viride æs, & acetum coquuntur fictile esse debet, ne augeatur in alio vase acrimonia floris æris vel viridis æris & aceti: reponaturque in fictili optime obtuso. Mesues unguentum Ægyptiacum magnum vocavit, non ad differentiam parvi, sed dixit magnum propter magnas vires, quas possidet.

VIRES A MESVE PROBATÆ.

Confert ad vulnera antiqua, & fistulas, quæ indigent mundificatione.

CAPVT VI.

Vnguentum populeon Myrepsi ex Sectione 3. de unguentis, cap. vel. num. 45. Vsuale.

Vera Myrepsi descriptio.

♃. Oculorum in summo arboris populi quando floret apparentium. ℔. j. ß.

Foliorum papaveris nigri.

Foliorũ mandragoræ.

a Foliorum rubiæ.

Foliorum hyosciam.

Foliorum solani.

b Vermicularis.

Lactucæ foliorum.

a *Folia rubiæ teneriora, coliculos, quos à prima germinatione, & in summa sui parte profert, intellige.*

b *Pro vermiculari, sempervivum minus cum albis floribus, linguam non mordicans, sume.*

c *Per*

c *Per sempervivum, intellige sedum majus, Myrepsus eodem cap. vel. numero.*

d *Alii legunt Sing. unc.* j. *se. alii Sing. unc.* iij. *quod melius præcipue si addantur axungiæ lib.* ij. *uti plerumque fieri solet: tandem videtur dosis ista foliorum & germinum quæ fit per unc. præter morem præscripta esse.*

c Sempervivi.

Foliorum violæ.

Cymbalii foliorum nominati Cortali, nascentis in figulinis & muris.

d Singulorum. ℥. β.

Adipis suilli recentis expertis salis.

Paratur autem in hunc modum. Accipiuntur herbæ, & cum adipe in mortario tunduntur, fiuntque veluti fermentum, & sinuntur sub ea forma diebus octo. Deinde gladiolo inciduntur in tenues partes, inque lebetem conjiciuntur

& lento igne bulliunt cum

e Vini boni. ℔. j.

Donec totum assumptum fuerit. Postea per linteum tenue colantur, & reponuntur in vase.

e Videtur ista additio vini esse præter scopum unguenti: quod ad refrigerationem tantum adhibetur. Itaque mallem cum aceto coquere.

SCCOLIA.

TUndantur per se oculi populi & folia violarum incisa in mortario lapideo cum pistillo ligneo, & una cum axungia præparata posita intra vas fictile coopertum, loco modice calido recondantur (sicuti reconduntur conservæ oleorum) donec cætera sint collecta ac præparata, hoc est, duos aut tres menses, vel eousque dum cæteræ herbæ sint in vigore: oculi *a* enim populi, & violarum folia primo statim vere, nempe mense Martio erumpunt. Alia autem Mayo vel Junio mense vigent. Has ubi

a Oculorum populi, vera collectio.

ubi per temporis occasionem collegeris, incisas per se in mortario prius dicto cum pistillo optime contunde, & cum prædicta fermentatione seu commixtione oculorum populi commisce, desuper affundēdo aceti optimi lib.j. & iterum loco tepido spatio octo dierum reconde, quibus elapsis totum in cineribus calidis aut vase duplici coquatur, donec omnis humiditas evanuerit. Signum autem coctionis tale erit. Accipias aliquid de decocto cum spatula lignea, vel baculo, & injiciatur in carbones accensos, si strepitum nullum emittit coctum erit, si vero emittit non satis erit. Tunc ab igne sepone & calide linteolo tenui & forti probe exprimendo percola, & infrigidari finito, deinde in vase optime obturato in usum serva.

Notandum Myrepsum tantum octo dierum spatio in infusione unguentum istud detinere: re vera id fieri minime potest ob diversitatem temporis, quo herbæ colliguntur. nam aliæ veris initio, aliæ æstate proveniunt. Præterea plurimi sunt qui folia bardanæ huic unguento addunt, Myrepsus vero omisit: idcirco censerem addendam esse bardanam ad quantitatem prædictorum germinum.

Adipis suilli.]

In hac Myrepsi compositione, deest pondus adipis, forsan bibliopolæ negligentia. Quare censerem, ut sæpissime expertus sum, pro quantitate herbarū lib. ij. adipis in hoc addēdas esse: quamvis Fuchsius dicat ℔. j. sufficere. De adipis autem collectione præparatione, & repositione, supra Sect. prima c. 2. satis diximus.

VIRES A MYREPSO DESIgnata.

Somnum conciliat, febrientibus ac dolentibus caput propter calorem, inunctum temporibus prodest. Febricitantibus palmæ manuum, ac plantæ pedum, & pulsus inunguntur. Irrigandum autem cum oleo rosaceo aut violaceo.

CAPVT VII.

Vnguentum de Althæa Myrepsi ex Sect. 3. de unguentis, num. 49. Vsuale.

Verus Myrepsi textus.

a ℞. Radicis maluæ Sylvestris. ℔. j.

a *Per Maluam sylvestrem, althæam intellige.*

b *Scyllæ*

Seminis lini.

Fœnugræci. Singul. ℔. ß.

b Scyllæ. ℥ iij.

Radices bene contusæ conjiciantur in

c Aquæ. lib. iij. ß.

Deinde dies tres in ea maceratæ ebulliant, donec succi crassitudinem acquirant, & per linteum tenue colentur. Post accipiatur succi hujus ℔. j. & injiciantur ei.

d Olei. ℔. ij.

& rursus bulliant donec succus absumptus fuerit. Deinde adjiciantur.

b *Scyllæ magnæ, neque enormis laminas accipe, prius cultello eburneo, vel aliquo ligneo, incisas.*

c *Aquam fontanam accipe.*

d *Oleum vetus insulsum accipe: nota tamen Præpositum lib. j. se. olei tantum capere.*

c Ceram citrinam accipe.

e Ceræ. ℔. ß.

Terebinthinæ.

Galbani.

Gummi hederæ aut ejus

f Fuchsius. Sing. drach. j. capit.

f ſucci. Singul. ℥ j.

Poſtremum imponatur

g Colophoniæ & reſinæ ana unc. iij. hoc in loco intellige.

g Colophonia bene trita &

Reſina alba pura.

Concuſſa agitataq; probe, ut in lebete eliquentur, ab igne removeto, & juſto tempore, ut refrigerentur, conquaſſato & vaſe recondito.

SCHO-

SCHOLIA.

Radices maluæ ſylveſtris, & ſcyllæ laminæ fruſta, per ſe diviſæ : ſemen itidem lini, & fœnugræc. ſeparatim ſingula in vaſis fictilibus diverſis, coopertis cum lib. v. ß. aut vj. ad ſummum aquæ maxime calidæ (pro æquali portione radicū & ſeminum) ſpatio trium dierum macerentur (quanquam alii trium, aut ſex horarum tantum ſpatio id faciunt) infuſione autem peracta, iiſdem vaſis concoqui debent, ſeparatim, igne lento, ſpatula ſemper movendo, donec aqua, infuſionis cauſa impoſita, conſumpta ſit, & ſuperſint mucaginis colatæ Singul. ℥ iij. deinde torquendo omnia ſeorſim exprimere debes : expreſſum cum oleo prædicto eodem igne coquatur, linteo agitando ad ℥. ß. fere conſumptionem mucaginis expreſſæ. Mox ceram, minutim cōfractam, ut liquefiat, injicies: quæ ubi liquata erit, ab igne ſepones & frigeſcere permittes : quæ ubi refrixerint, galbanum diſſolutum (cujus diſſolutionis require modum ſupra Sect prima) & cum terebinthina incorporatum admiſcebis :

H 5 deſu-

desuper pulverem quam tenuissimum, gummi hederæ, colophoniæ & resinæ adjicies (alii post ceram liquatam colophoniam & resinam addunt, ut una liquentur, & melius.) Quæ omnia commixta & optime incorporata in vase ad usum recondito.

In hoc unguento parando plura sunt notatu digna: imprimis Myrepsum pondera colophoniæ & resinæ omisisse. Sed Fuchsius de componendis medicament. Sect. 15. de unguentis, & Præpositus particula 20. lib. 2. pondus restituerunt, scilicet singulorum ℥ iij. Præterea cum Myrepsus, & alii qui hoc unguentum à Myrepso desumpserunt, tres tantum libras aquæ determinarunt ad infusionem & decoctionem radicum & seminum (licet in aliquibus Præpositi libris. vij. libræ legantur) maxime meo quidem judicio falluntur hi, cum totæ radices, & semina sint in pondere duarum librarum & trium unciarum, sunt tantum unciæ decem & semis aquæ pro uno quoque simplici, quæ non sufficiunt, cum tribus diebus continuis igne lento macerari debeant ante decoctionem: quæ aquæ proportio tum infusionis tum coctionis tanto spatio posset consumi, & radices & semina aduri defectu

fectu humoris. Unde (salvo meliori judicio) si hoc unguentum voluerint Pharmacopoei conficere, ut author præscribit, legendum erit, aquæ lib. viij. aut novem secundum regulam Servitoris. Sed quia in dictis simplicibus est humiditas satis multa, ut quæ portionis alicujus aquæ vices supplere possit, nõ tam exacte juxta regulam Servitoris quinque lib. cum semisse aut sex ad summum contenti esse poterunt, si perfectam velint habere mucaginem, ne radices & semina urantur infundendo & coquendo. Nam ea regula cum sit universalis, modificatione tamen aliqua conscribi potest, pro ratione corporum coquendorum, quæ quantitas aquæ melior & certior sit ad seminum & radicum mucagines extrahendas: id quod maxime à peritorum artificum, & probatorum authorum judicio dependet. Rursus notandum, Myrepsum quærere solum lib. j. mucaginum coctarum ad crassitiem: coctæ vero, vult, ut consumantur cum oleo prædicto. Re vera facile libra una mucaginum potest cum libris duabus olei coqui, sed quantitas, radicum & seminum hoc loco descripta, mihi videtur excedere ad libram mucaginum conficiendam. Nam est regula generalis apud omnes

Pharmacopœos, authoritate Servitoris & Præpositi, ad mucagines conficiendas, ut pro libra una aquæ, sumamus ℥ iij. ad summum ℥ iiij. radicum vel seminum.

VIRES A MYREPSO NOTATÆ.

Ad nervorum intercisionem, lateris dolores, omnemque incontinentiam, & duritiem nervorum, atque resolutionem utile est.

CAPVT VIII.

Vnguentum Agrippæ Myrepsi ex Sect. 3. de unguentis, num. 43. Vsuale.

Veræ Myrepsi descriptionis pars media.

a *Eryoniæ radicem hoc loco sume.*

b *Scyllæ laminas albas, cultello eburneo divisas, accipe.*

c *Iridis illiricæ radices recentes accipe: vel illarum loco nostrates sume.*

a ♃. Byroniæ. ℔. ß.

Radicis althææ sylvest.

b Scyllæ, Singul. ℔. ij. ß.

c Iridis. ℥. vj.

d *Ebuli*

Radicis filicis.

d Ebuli.

d Ebuli radices intellige.

e Tribuli marini.
Singul. ℥. ß.

e Tribuli marini radicum medullam cape.

Tuſa hæc imponantur in

f Olei. ℔. ß.

f Oleum olivarum antiquum & maturum accipe.

Et ſubigantur ſimul ac reponãtur in vaſe tribus diebus: dein injiciantur in lebetem, & bulliant, ſubactaque jam probe colentur, ſiccaque abjiciantur, liquidum autem in lebetem conjiciantur, &

g Ceræ puræ. ℥ iij.

g Permulti ceræ unc. j. drac. j legunt: alii unc. ij. & melius, ratione doſis olei. Multi ceram albam hoc loco ſumunt, ſed præſtat citrina ratione caliditatis.

Sic paratum reconde in vaſe.

SCHO-

SCHOLIA.

RECentes omnes radices tempore & loco legantur, terque aut quater abluantur, semper aquam mutando, sindoneque munda abstergantur, & in minutissimas partes incidantur, deinde omnes per se in mortario lapideo pistillo ligneo tundantur perfecte, fictilique plombato stricti orificii una cum oleo, spatio trium dierum, aut (ut alii) octo, ut melius & efficacius macerentur, super cineres calidos constituantur, & vas diligenter cooperiatur, interdum tamen spatula agitari debent, ut melius imbuantur, deinde maceratione peracta coquantur ad humidi consumptionem, vel donec tota humiditas radicum sit consumpta, & oleum, dum cum radicibus coquitur, totam vim radicum imbiberit. Mox dum calet, percoletur, & radices siccæ projiciantur. Liquidum oleum rursus super ignem levem apponatur: statim cera concisa ad liquandum injiciatur: qua liquata refrigescere finito, agitando, refrigeratum ad usum in pixide servato.

Circa hoc unguentum notandum Alex-

xan-

xandrinum lib. de compositione medicamentorum secundum loca capit. 995. & Præpositum lib. 2. particula xx. non convenire in simplicibus, neque in ponderibus, illorumque descriptiones ab hac Myrepsi maxime differre. Usualis tamen & vera descriptio est Myrepsi, quia primus eam usurpavit & descripsit. Quantum autem ad simplicia loco radicis althææ, ponunt alii (& melius) radicem cucumeris asinini, quæ purgatrix est, & ideo facit, ut multi medici præscibant ad hydropicos. a Quantum ad doses sic variant: nam alii bryoniæ lib. ij. radicis cucumeris asinini lib. j. scyllæ ℥. vj. iridis ℥. iij. radicis filicis, radicis ebuli & tribuli marini ana ℥ ij. olei olivarum maturi & antiqui lib. iiij. cæræ ℥ xv. Quod vero spectat ad confecturæ rationem, videtur descriptio Myrepsi deficere in quantitate olei pro quantitate simplicium, & similiter in ceræ, pro quantitate olei. Itaque addendum mihi videtur oleum in majori quantitate & similiter cera pro ratione olei. Et quia in hoc Myrepsi, ad coctionem radicum tantæ quantitatis, & earundem macerationem, non posset esse adhuc sufficiens quan-

a *Præpositi vera descriptio, mihi frequens & usualis.*

quantitas olei, non erit præter rem aliquid liquoris permiſcere, vini ſcilicet, vel aquæ ne uratur oleum. Vinum tamen in hoc præſtat.

VIRES A MYREPSO SCRIPTÆ.

Ad hydropicos, lienoſos & ventre dolentes (iis enim abſterſorium fit) utile.

CAPVT IX.

Vnguentum roſatum Meſuæ ex xj. *diſtinctione de unguentis & emplaſtris, interdum Vſuale.*

Textus Meſuæ verus.

a *Quamvis diximus axungiam ſumi pro veteri & ſalita pinguedine porci, hic tamen recentem intelligere oportet quæ vulgo (ſain doux) dicitur: & per quantum volueris, lib.* viij. *intellige.*

a Axung. porcinæ recentis quantitatem quam volueris.

Et lavetur in aqua calida novies, & tantundem cum aqua frigida, la-

b *Roſ...*

vatione ultima: deinde terantur cum ea,

b *Rosas albas permulti accipiunt: & per quantum ipsa est, videlicet, ex pinguedine, hoc est, lib.* viij.

b Rosarum rubearum recentium quantum ipsa est.

Et dimittantur marcescere per dies septem: deinde coquantur cum facilitate & colentur. Et iterum tantumdem rosarum teratur & dimittatur per alios septẽ dies & funde super ea,

c *Per partem dimidiam lib.* iiij. *accipe.*

c Succi rosarum circiter Partem sem.

d *Oleum amigdalinum sine igne factum accipe: sufficit lib. se. si vis unguentum facere ut experientia docti sumus,*

d Olei amigdalini. Part. vj.

Et iterum coquãtur

tur cum facilitate, usque ad succi consumptionem deinde reponatur & administretur: & quandoque disrumpitur in aqua rosata parum opii, & projicitur in decoctione, & est mirabile, ubi oportet, & proprie quando vigiliæ adsunt.

SCHOLIA.

VT docuimus antea Sect. prima cap.2. accipe axungiæ porci recentis & à membranis exacte purgatæ lib. viij. quam probe in vase fictili plumbato, lati orificii, semper spatula lignea tractando, novies aqua calente lavabis, donec frigescat axungia, aquam semper cum frigida erit, ejiciendo, & aliam calidam assumendo, & toties postea aqua frigida tractãdo lavabis, semper innovando aquam: deinde cum optime lota erit, in alio fictili stricti orificii axungia reponatur: una cum lib.viij.rosarum rubearum prius in mortario lapideo vel marmoreo cum pistillo ligneo tusarum, diligenterque fictile cooperiatur, & igni

& igni lento, nempe cineribus calidis, aut diplomati, per modum infusionis, diebus septem appones, & concoques, ut sit quasi non coctio, sed potius maceratio, & humidi superflui consumptio, radicalis vero humidi rosarum reservatio. His peractis totum extorquendo calide coletur, & colaturæ tantundem rosarum rubearum recentium, ut prius contusarum, in vase prædicto cooperto una cum succi rosarum lib iiij. spatio septem dierum cineribus calidis, aut diplomate, ut omnia simul macerentur & tota rosarum humiditas, & succosa substantia in axungiam abeat, iterum repones & ut prius concoques. Tum axungiam colabis, & siccis rosis abjectis refrigerari permittes, & diligenter axungiam ita paratam vase nitido cooperto ad usum servabis.

Nostrum vulgus, dempto oleo amigdalarum & opio, istud unguentum conficit. At si quærat quis, quare oleum & opium prætermittamus, dicemus. Oleum magis liquidum unguentũ reddere, ob magnam olei copiam, nam si addere volumus secundum authoris intentionem, re vera sufficiunt ad hoc unguentum parandum ℥ vj. ut in margine videre erit. Opium vero potest ex præscripto medici, & non usualiter

liter, admiſceri, ad errores vitandos, diſſolutum cum pauca aqua roſacea.

VIRES A MESVE DENVNtiatæ.

Sedativum inflammationum, & eryſipelatis, & ignis Perſici: & confert ſodæ calidæ, & inflammationi ſtomachi & hepatis.

CAPVT X.

Vnguentum Inulatum ex XX. *perticula Præpoſiti Vſuale.*

Verus Præpoſiti textus.

℞. Radicis Inulæ campanæ coctæ cum aceto & piſtatæ ut decet. ℔ ß.

a Axungiæ porci. ℥ j.

b Olei communis. ℥ j. ß.

a *Axungia vetus & ſalita hoc loco ſumenda, ratione caliditatis & virtutis deſiccativæ. In alio unc.* j. *ſem.*

b *Oleum commune vetus & maturum olivarum ſume, & loco, unc.* j. *ſe. legendum unc.* ij.

c *Ceram*

c *Ceram citrinam intellige.*

d *Argentum vivum extinctum, & à plumbo separatum accipe: modum autem separandi & incorporandi, vide infra ubi agitur de argento vivo: verum loco argenti vivi hic nonnulli tantumdē sulphuris addunt, ubi sola intentio est resiccandi & abstergendi.*

c Ceræ novæ.

d Argenti vivi extincti.

Terebinthinæ lotæ, ana ℥ j.

Salis cõmunis pulverisati. ℥ ij.

Incorporetur ut decet.

SCHOLIA.

Radices inulæ tempore & loco collectæ in aqua clara laventur, donec omnes sordes deposuerint: deinde linteolo mundo & rudi detergantur, frustulatimque incidantur: & in fictili cum aceti lib. iij. secundum communem usum coquantur: quia tamen acriorem quandam qualitatem acetum cum radicibus coctum acquirere potest, & absumere inulæ, coquendo, quandam virtutis portionem, melior videtur prima coctio, & veluti cruditatis effractio, si fiat

ſi fiat cum aquæ media parte: perficienda vero ſub finem cum aceti reliqua portione, donec totus liquor abſumptus & coctæ radices ſint. Poſtea refrigeſcere permitte ſuper cribrum rarum, ut ſiquid ſuperſit aquæ & aceti effluat: ubi refrigeratæ erunt, in mortario lapideo piſtillo ligneo (non autem æreo, nec metallico propter aceti vim, alias enim longe diverſam qualitatem acquireret) contundes: tandem dicto raro cribro, manu vel ſpatula cōprimens lignea, tranſcolabis & colatum cum axungia porcina in fictili lati orificii concoques igne lento, ſpatula ſemper inter coquendum agitando, donec pars ſuperflua liquoris in auras abeat: & continuo ſalem optime pulveriſatum & cribratum commiſcebis, paulo poſt ceram cum oleo liquatam conjunges (alii ceram cum oleo liquant, qua liquata radices colatas & ad humidi ſuperflui conſumtionem, coctas una cum axungia, & prædicta cera jungunt, deſuper ſalem optime pulveriſatum inſpergunt.) Tunc totum ab igne ſepones, & ubi omnia bene commixta optimeque refrigerata erunt, argentum vivum cum hominis jejuni ſaliva probe incorporatum & cum terebinthina involutum permiſcebis, prius tamen aceto macera-

ceratum, diligenter frequenterque agitatum in *a* mortario marmoreo cum pistillo ligneo spatio unius horæ vel donec acetum sordes crassas argenti vivi imbiberit: tunc acetum istud dejiciatur & aliud clarum ac nitidum imponatur, agiteturque ut prius, hæcque agitatio seu maceratio ter aut quater repetetur semper innovando acetum pro quacumque vice: agitatione autē facta si aliquid in eo terræ aut plumbi aut stanni sit, id ut auferatur transcolari debet per alutam comprimendo. Sicque paratum ad usum unguentum habebis fictilique reservabis. Cæterum notandum erit authorem petere terebinthinā lotam. Sane ego habeo ex doctrina medicorum integram meliorem esse, ut quæ, cum amarorem & caliditatem retineat, permeabilior sit, & majoris virtutis ad penetrandum & desiccandum.

Argenti vivi.]

b Chymistæ argentum vivum mercurium vocant: alii hydrargyrum, alii præcipitatum: alii matrem metallorum & mineralium: alii cinnabarim. Verum argentum *c* vivum nihil aliud est, quam aqua viscosa in visceribus terræ, substantiæ subtilis,

a *Argenti vivi depucatio, secundum scopum compositionis.* b *Argenti vivi varia nomina.* c *Argentum vivum quid, varia opiniones.*

ſubtilis, terræ albæ temperati caloris virtute exquiſite permiſta, perque minima., quouſque humidum fuerit temperatum à ſicco, & ſiccum ab humido æqualiter. *a* Alii per ſe inveniri in argenti fodinarum tectis ſtillatim concretum afferunt. Eſt autem duplex. Nativum ſcilicet, & artificiale. Nativum ſui coloris ſine excoctione, quod tale reperitur intra metalla, in lacubus, in quos è fibris effluxit. Artificiale ex minio, ſive ex vena minii cōfic.tur, ſeu coquitur, ad eum modum quem Dioſcorides tradit lib. 5. capit. 70. & Plinius lib. 33. capit. 6. & 8. Quod ſi plura requiris, lege eoſdem authores, & pariter Lodoicum Cælium lib. 26. cap. 30. Fuchſium lib. 9. de Simpl. medicament, facultatibus Sect. 3. cap. 32. Notandum tamen erit argentum vivum, dum eſt liquidum, crudum & vivum appellari: dum eſt mortificatum, in quibuſdam officinis concrematum dici, & à nobis ſublimatum. *b* Efficitur etiam à nobis præcipitatum cum aqua forti, coctione, ad evaporationem ipſius aquæ videlicet ex P. iij. argenti vivi & aquæ fortis P. j. quod in officinis noſtris argentum vivum rubeum

a *Argenti vivi duo genera.* b *Per officinam hoc loco intellige locum ubi metalla præparantur.*

rubeum vocatur. *a* Extinguitur ſeu incorporatur ſic. Accipe argenti vivi quantum volueris, & mortario metallico impone, & diutiſſime piſtillo ferreo agita cum pauca hominis jejuni temperati ſaliva, vel cum pauca axungia porcina, urſina, oleo terebinthinæ, juniperi, butyro recenti, ſulphure vivo & cocto pulveriſato, ſtyrace liquida, caſtoreo liquido, terebinthina, & cum pluribus aliis ſimplicibus pro diverſis medicandi ſcopis, donec nullæ ſcintillæ appareant. Sicque extinctum vel diſſolutum commiſcere poteris, ſcilicet in omnibus unguentis aut emplaſtris, cum refrigerata fuerint, Sed antequam extinguatur, debet eligi. Eligitur autem & probatur nativum ſeu foſſille à plumbo depuratum cujus depuratio talis erit: *b* Accipe alutam fortem & ſatis amplam pro quantitate argenti vivi, & in eam argentum vivum include: incluſum & alutam optime ligatam manu ſtringe & comprime in aliquo vaſe, ſtatimque videbis argentum vivum ab aluta exire, & plumbum ſi adſit remanere in aluta.

a *Argenti vivi extinctio, ſeu incorporatio.* b *Argenti vivi antequam extinguatur tranſcolatio.*

VIRES A QVIBVSDAM MEDICIS notatæ.

Ad omnimodam ſcabiem carnis ex humore melancholico factam, & falſa putrefacta pituita admodum utile.

CAPVT XI.

Vnguentum diapomphyligos Alexandrini ex lib. de compoſit. medicament. ſecundum loca, capit. 1038. *Vſuale.*

Alexandrini veri textus pars media.

a ℞. Olei roſati.

b Ceræ albæ. ana ℥ iij.

c Succi fructus uvæ lupini quod ſufficit.

a *Oleum roſarum immaturum deſcriptum ab Alexandrino accipe, & loco unc.* iij. *olei legendum eſt unc.* IX. *vel unc.* X.

b *Ceram albam crudam, & lotam intelligit author: ſed ejus loco noſtram albam factitiam uſurpamus.*

c *Per uvam lupinam, intellige ſolanum hortenſe, &*

per

d Psimmythii. ℥ j.

e Pompholygos vel spodii.

Plumbi usti & loti.

f Olibani puri.
ana ℥. ß.

In oleo ceram lento igne liquefac, & ab igne subductis specierũ pulverem adde, & in marmorea pila diutius cõmisce, sæpius suprascriptum succũ superfundendo, cũque per quinq; aut sex horas ad solem cũ pistillo subacta fuerint, in loco frigido coaguletur: si quid succi supernataverit

per quantum sufficit unc. iiij.

d *Per psimmythium cerusam lotam cum aqua rosarum intelligit: modum autem lavandi require supra prima Sect. capit.* 12.

e *Pompholyx vel spodium videlicet Græcorum: sed præstat in hac compositione pompholyx quam spodium, quia magis subtilis minusque sordida quam spodium: quid autem sit pompholyx & spodium & quomodo differant, lege infra ubi agetur de pompholyge.*

f *Per olibanum purum thus masculum accipe.*

taverit abjiciatur: & linteo inductum locis vulneratis impone.

SCHOLIA.

Succi à maturis baccis solani extrahe quantitatem sufficientem, videlicet ℥ iiij. (quanquam tamen nonnulli existimant ab immaturis extrahendum tanquam à magis astringentibus & refringerantibus, quod ego aliter puto) & cum oleo rosaceo in lebete igni lentó excoq; ad succi consumptionem, spatula assidue movendo (sunt autem qui succum addendum putant, ut eo nutriatur calide cerusa & reliqua simplicia dempto olibano) deinde ceram frustulatim divisam in prædicto oleo, ut liquescat injicito: qua liquata lebetem ab igne sepones & spodium, plumbum, & cerusam separatim tritam & lævigatam, semper spatha agitando ut probe commisceantur conjicies: quibus optime commixtis & omnino refrigeratis pulverem tenuissimum olibani insperges, & subiges, eousque dum omnia sint optime mixta & confusa, ita ut unum ab altero discerni minime possit: hac enim methodo unguentum secundum artem habebis factum.

Animad-

Animadvertemus autẽ in hoc unguento quantitatem olei non sufficere ad perfectam omnium consistentiam, & unguenti formam, nisi ultra authoris descriptionem addantur olei ℥ vj. quod ego certe facio, dum illud paro, eo quod nimis siccum & durum esset, nisi tantum olei adderetur, aut aliquid de cera detraheretur. Pariter notabimus Alexandrinum non præscribere pondus succi vuæ lupinæ cum dicit quod sufficit, sufficiunt tamẽ pro quantitate olei ℥ iiij. Idem Præpositus xx. particula lib. 2. illud unguentum describit, consentitque cum Alexandrino in simplicibus, sed in ponderibus minime, quæritque Alexandrinus ceram simpliciter, Præpositus vero ceram lotam, quæ sane lavari debet propter acrimoniam à melle contractam, huic unguento minime convenientem. Galenus Tract. 20. ad Glauconem, capite de curatione cancri, seu cancrosi ulceris, unguentum istud describit ab eo Alexandrini maxime diversum.

Plumbi usti & loti.]

a Plumbum corpus est metallicum, lividum, terreum, ponderosum, modice particeps albedinis. Nec reperitur in fodinis

a *Plumbum quid.*

dinis purum plumbum, cujuscunque sit coloris. *a* Quod excoquitur triplex, scilicet. Nigrum, quod verum est plumbum: Cinerum, quod Fallopius lib. de metal. seu de fossi, cap.22. *b* Marchesitan librariorum vel impressorum vocat: quod nihil aliud esse videtur quam stybium. Candidum, quod est stamnum, & antiquorum *c* plumbum album. Avicenna 2. Canone, cap.2. duas tantum species definit. Plinius antiquis duplex esse ait (cum ipse tria genera ponat.) *d* Nigrum & Cinerium. Nigrum fit ex lapide pyrite coloris argentei: nam pyrites ille argentei coloris argentum continet & æs; aliquando solum æs, aliquando argentum solum, aliquando utrumque simul, aliquando argentum & plumbum nigrum aliquando plura metalla, aliquando omnino sterilis reperitur pyrites. *e* Cinereum vero distat à nigro & candido plumbo colore: estque quasi sui generis metallum, quod Græci, tum Latini scriptores ignorasse videntur. Quod candidum vere est plumbum, improprie à vulgaribus plumbum nigrum appellatur.

Can-

a *Plumbi treis species.* b *Plumbum album antiquorum quid.* c *Plumbi secundnm Avicennam dua species.* d *Plumbi nigri origo.* e *Plumbi cinerei origo.*

Candidum *a* vero plumbum ſtamnum illis dicitur. Tamen non ſunt eadem ut hactenus voluerunt ſtamnum & plumbum candidum. Nam ſtamnum ex terra effoditur & in mineris invenitur in fruſta diviſum, teſtis Serapio lib. aggregat. cap. Femezeg. *b* Sed plumbum noſtrum candidum ex galena in quibuſdam locis conflatur ut plumbum nigrum. Et ut vult Plinius lib. 34. cap. 16. coquitur ex lapillis nigris candore varietatis, qui lapides nigri nonnullis locis magni reperiuntur: interdum vero ut arena, ſcribitq; in Britannia, item in Gallitia provenire, cum in Gallitia minime fiat nigrum. Sed de plumbo & illius generibus & origine ſatis, ſi plura requiris conſule Galenum lib. 9. Simplic. medicament. Et Plinium lib. 34. cap. 16. 17. 18. Dioſcoridem lib. 5. cap. 47. & 48. Georgium Agricolam & Fallopium. Nunc de ejus præparatione eſt nobis dicendum, quæ fit duobus modis: uſtione & lotione. *c* Uritur autem ſecundum Dioſcoridem lib. 5. cap. 56. hoc modo. Super tenuiſſimas plumbi laminas fictili novo inditas, ſulphur inſpergito: additiſque

I 4 rurſus

a Stamnum & plumbum candidum inter ſe differunt. Stanni origo. b *Plumbi candidi origo.* c *Plumbi uſtio ſecundum Dioſc. & Servitorem.*

rursus aliis laminis, interjecto semper sulphure, donec vas expleveris succendito: flagrans autem jam plumbum ferrea rude versato, donec perfecte redigatur in cinerem, nihilque è plumbo non ustum hæserit: tum demum obstructis naribus extrahito: alioquin fumus plumbi maxime noxius sentitur. Sic Dioscoridis & Servitoris sententia plumbum uritur, sed hujusmodi ustio difficilis admodum nobis videtur propter damnum, quodque cinerem nigrum reddit, & depravat colorem unguenti si observare volueris. Illa sequens ustio quæ fit absque sulphure, perfacilis est, minimeque nocua.*a* Vas fictile non vitreatum (ne inter urendum quid adhæreat) accipito, & furno fusorio, ubi sint carbones accensi, appone: idque fictile carbonibus ardentibus undique circunda, in eoque quantum plumbi volueris impone, & liqua: quod illico fiet. Prius tamen bis aut ter in aceto fortissimo plumbum extinguatur, quæ extinctio similis est extinctioni lapidis calaminaris, & tutiæ Græcorum: dequa vide infra in unguento deficcativo. Liquato plumbo ignis augeatur & ferrea spatula semper agitetur, paulatim à lateribus vasis spumam ejiciendo, quousque totum in spumam devenerit

a. *Plumbi ustio perfacilis.*

nerit, nihilque è plumbo usto adhæserit. Spumam autem illam, quæ veluti cinis, & re vera cinis est, in dicto furno, ignem augendo, circumcirca concoques, donec colorem retineat album citrinitati permixtum. Hac enim methodo non nocebit, nec nigrum erit. At quia Alexandrinus plumbum ustum & lotum requirit, sic præparatum lavari debet, quamvis in eo mordacitas aut acrimonia nulla sit. Sed est intentio Alexandrini fortasse ipsum lavare, ut tenuius sit, & sic facilius permeet poros cutis, dum parte alicui applicatur, vel ut nova qualitas per ablutionem addatur, aut auferatur, vel ut corrosiva & acris vis in eo arte acquisita tollatur. Scio autem (ut prædixi) non esse acre neque corrosivum, nec edit effectum calidum aut siccum ante ustionem, sed ex sententia Galeni potius frigefacit & humectat. Quod si vero volueris ipsum lavare hoc modo lavabis. *a* Accipe cinerem plumbi tali modo, ut jam diximus factum, & illum in mortario marmoreo desuper parum aquæ celestis vel rosarum affundendo aliquot horis pistillo ligneo, vel spatula lignea agitato, donec aqua sit fœculenta vel turbida, quam dejicies in quoddam

 fictile,

a *Plumbi usti, lotio.*

fictile, & aliam aquam iterum affundes, & ut prius tractabis ac movebis, semper aquam turbidam & fœculentam dejiciendo in supradictum fictile usui futuram, & aliam in mortarium itidem infundendo atque hæc toties repetes, donec pars subtilior plumbi usti assumpta sit cum prædicta aqua effusa, : crassior autem pars, quæ residet in fundo mortarii rejiciatur tanquam plumbi sit excrementum nulliusque efficaciæ. Tunc totam partem subtiliorem plumbi usti, quæ cum aqua assumpta fuerat quiescere permitte, quousque ea clara & sincera videatur, & plumbum ustum in fundo fictilis residere, quod sub dio siccabis : siccatum ad usum servabis. Alii hac lavandi utuntur ratione. Pulverem plumbi usti in mortario infusa aqua agitant , donec ea aqua plane sit turbida, quam tum residere & clarescere permittunt , & tunc demum ejiciunt , nec in alio vase conservant : idque sæpius iterant , dum aqua non amplius turbetur, sed prorsus clara & indefœcata appareat. Tunc denique quod in fundo mortarii resider, id ad usum reponunt. Qua ex lotione ego quidem judico subtiliorem plumbi partem à crassiore exacte separatam non esse : nec id sedimentum authoris

ris menti respondere; neque pro facultate huic unguento adscripta, satis desiccare. Cum igitur à medicis præscribetur plumbum lotum sic priori mon lavabis, mutando tamen liquorem pro scopo compositionis, & intentioni medici.

Pompholygos vel spodii.]

a Pompholyx, Tutia Arabibus dicta. Vera autem Pompholyx cinis est metallicus, levissimus, qui ex æris, vel Cadmiæ favilla in summitate fornacum, aut parietibus, vel etiam domunculorum, extra farinæ modo dispergitur, quod seplasiis Nil album vocatur, & à Germanis Nili pinguis: estque is cinis candidus & usque adeo levis, ut in auras evolare possit. Alii volunt quid *b* album esse (quasi bullam seu ampullam, unde nomen apud Græcos sortitur) purum pingue, ac leve: quod colligitur & fit in summitate fornacum, differtque secundum diversitatem metallorum, & ratione locorum in quibus colligitur: ut si in oris fornacum, tum Cadmia capnitis: si à lateribus & summis *c* cameris est pompholyx: pars quæ in summitate dependet pompholyx etiam dicitur:

a *Pompholyx vera quid.*

b *Pompholygis, cadmiæ capnitis, & spodii origo.*

c *Pompholygis & spodii differentia.*

pars vero quæ parietibus & pavimentis adhæret ſpodium appellatur (ut ſæpiſſime in hac urbe, vico divi Martini, & in pluribus locis obſervavimus in fornacibus, ubi æs conflatur) differtque pompholyx ſola ſpecie, candore, vel levitate, non genere, à ſpodio. Siquidem ſpodium magis nigreſcit, & ponderoſum piliſque plenum eſt, tanquam excrementis collectis ab ærariarum officinarum, & fornacum pavimentis. Materia autem pompholygis & ſpodii eſt æs, vel lapis calaminaris, qui Arabice climia: & Græce cadmia dicitur. Probatur autem pompholyx Cypria, quæ ſuperfuſa *a* aceto halitum æris præſtat, colore aliquantulum piceo, ſapore cœni, horrido, & ſtatim ſi fraudem non eſt experta flagranti impoſita carboni infervefcit, & cæruleum *b* colorem contrahit. Cujus ſecundum Dioſcoridem lib. 5. cap. 46. duo fuerunt genera. Unum ad æris colorem vergens, ſubpingue: Alterum candidum & maxime leve. Candida enim fit pomphplyx, quoties in perficiendo ære fabri præſtantius facere volentes detritam cadmiam cumulatius inſpergunt: namque leviſſima favilla, quæ defertur, in pompho-

a Pompholygis electio. b *Pompholygis genera duo ſecundum Dioſco.*

pholygem coit. Hæc Dioscorides, lib. & capit. citato.

VIRES AB ALEXANDRINO desumptæ.

Ad exsiccanda Erysipelata, vulnera sordida, & ad sananda tybiarum ulcera aliorumque loco concava, vel dissipata replet, refrigerat & cicatrisat.

CAPVT XII.

Vnguentum Apostolorum Avicennæ libr. 5. Summa prima tractat. xij. *de unguentis & emplastris Vsuale.*

Verus Avicennæ textus.

a *Terebinthinam illam quæ è terebintho fluit sponte, quam sol non attingit, sume.*	*a* ♃. Terebinthinæ.
b *Ceram albam naturaliter & ponticam author intelligit sed ejus loco nostram albam factitiam usurpamus.*	*b* Ceræ albæ.
c *Resinam illem quæ sponte fluit è terebin-*	*c* Resinæ. Omnium. ana ℥ xiiij.
	Opponacis &
	Floris æris. Amborum. ana ℥ ij.

tho

tho, & solis calore condensatur, hoc in loco sume. ac in omnibus cōpositionibus ubi resina requiritur.

d *Per aristolochiam longam radices, intellige.*

e *Bdellium molle accipe.*

f *Lithargyrium aureum sume.*

g *Acetum vini dixit author, ad differentiam aceti compositi ex ficubus, & aliis fructibus, ut docet Columella lib. de re rustica, ita tamen sit acetum vini, ut nihil redoleat vini, alias non esset, tum verum: quia acetum est vinum mortuum.*

h *Oleum olivarum maturum & insulsum accipe, sufficiuntque æstate sive hyeme lib. ij.*

d Ammoniaci. Pondus. ℥ xiiij.

Aristolochiæ longæ &

Thuris maculi. Amborum. ana ℥ vj.

Mirrhæ &

Galbani. Amborum. ana ℥iiij.

e Bdellii. Pondus. ℥ vj.

f Lithargyrii. Pondus. ℥ ix.

Infundatur bdelliū in *g* aceto vini & decoquantur in æstate cum

h Olei. ℔.ij.

& in hyeme cum ℔. iij.

SCHO-

SCHOLIA.

Lithargyrium (ut antea in Emplaſtris diximus) electum, tritum, & præparatum, in lebete cum ℥ ij. olei prædicti, ſpatio quinque horarum, aut ſex nutriatur: deinde igni lento ad mellis craſſitiem, vel ad unguenti mediocriter duri formam coquatur, ſpatula ſemper agitando, ne in vaſis fundo ſubſideat, ſubſidendoque uratur: quod ubi coctum, & ab igne depoſitum fuerit, ceram in minutiſſimas partes diviſam, & in reliqua parte olei liquatam, una cum reſina confracta calide affundes & refrigerare permittes: ubi hæc refrixerint, ammoniacum, galbanum, opopanacem bdellium (ſi molle ſit, ſi vero ſiccum, in pulverem tenuiſſimnm rediges, & in numero pulverum collocabis) arte ſoluta, & cocta in aceto aut vino, ut ſuperioribus emplaſtris & unguentis ſolvendi & coquendi modum docuimus & cum terebinthina incorporata immiſcebis. His itaque optime commixtis, & omnino refrigeratis, pulveres tenuiſſime per ſe tritos, ut ariſtolochiæ longæ, myrrhæ, thuris permiſcebis, ſemper ſpatula agitando. Hoc itaque

itaque modo paratum habebis unguentum, addendo pulverem tenuissimum floris æris.

VIRES AB AVICENNA descriptæ.

Lætificans cum facilitate fistulas difficiles, scrophulas parvas, nec est aliquid simile ei, & mundificat vulnera ex carne mortua & pus, & consolidat.

CAPUT XIII.

Vnguentum desiccativum rubeum ex xx. particula secundi libri Præpositi Vsuale.

Præpositi vera descriptio.

a *Lapidem calaminarem illum, quam cadmiam lapidosam appellamus, extinctũ & lotum sume.*	*a* ♃ Lapidis calaminaris.
b *Terram sigillatam illam, quam sacerdotes Dianæ signabant imagine Dianæ in cujus tutela erat, vel illam terram, quam caprino san-*	*b* Terræ sigillatæ. ana ℥iiii.

guine

guine miscebant, hoc loco sume, sed quia vera ad nos non defertur, bolum armenam ejus loco usurpamus.

c *Lithargyrium lotum accipe.*

d *Cerusam lotam cape.*

e *Ceram albam naturaliter & ponticam hoc loco intelligit author, sed ejus loco albam factitiam usurpamus, & loco unc.* v. *legendum unc.* iiij.

f g *Oleum rosatum rude, crudum ac immaturum, & violatum à Mesue descriptum accipe.*

c Lithargyrii auri.

d Cerusæ. ana ℥ iij.

Camphoræ. ʒ j.

e Ceræ. ℥ v.

f Olei rosati.

g Olei violati. ana ℥ vj.

Fiat unguentũ.

SCHOLIA.

Ceram frustatim divisam, una cum oleis, lento igne, ut solvatur, cacabo impones (melius, si soi-veretur, cum solo rosato crudo, desiccationis causa) in quam solutam, ab igne depositam, & refrigefactam, projice tenuissimum pulverem simplicium per se pulverisatorum, ut lithargyrii, cerusæ, lapidis calaminaris, terræ sigillatæ (aut suc-

ſuccedanei ejus) ſpatula lignea ſemper movendo. Paulopoſt camphoram una cum pauco oleo roſato crudo vel cum pauca aqua roſacea diſſolutam. Sunt qui in hoc unguento conficiendo levi igne lithargyrium, & ceruſam, una cum oleis ad ſyrupi mediocriter cocti conſiſtentiã ſpatula ducendo decoquunt: deinde ceram confractam in lithargyrio cocto ſolvunt, & ubi omnia fere frigida ſunt, pulveres reliquorum ſimplicium admiſcent: poſt camphoram arte ſolutam addunt. Uterque modus optimus; ſed prior officinis noſtris & uſitatior eſt, & certior.

Cæterum notandum erit deſiccativum rubeum (licet rubeum in titulo deſcribatur) niſi loco terræ ſigillatæ, bolus armenia admiſceretur, vere rubeum eſſe non poſſe.

Lapidis calaminaris.]

a Lapis calaminaris arabice dicitur Climia, & Græce cadmia tamen vulgo eadem ſunt nomina: diciturque noſter lapis verus calaminaris cadmia lapidoſa, vel æraria, quia artifices eo utuntur ad componendum æs luteum, quod orichalcum appellamus (vulgo lethon) quamvis plures ſint cadmiæ *b* ſpecies. Cadmia *c* autem duplex nativa,

a Lapis calaminaris quid. b *Cadmia duplex.*
c *Cadmia nativa duplex.*

nativa, & factitia. Nativa iterum duplex. Una quæ reperitur in montibus, & rivulis, necnon aliquando in torrentibus: & plures Item gemmam esse existimant, quæ à quibusdam cristalli radix dicitur. Altera in fodinis metallorum reperitur, fossilis, & lapidosa metalli expers, & Pharmacopolis lapis *a* verus calaminaris nuncupatur, qui admodum durus, sublutei coloris, & accensus luteum edens colorem: sine eo orichalcum confici non potest, isque hoc loco est sumendus. Estque *b* ille lapis bicolor, quem Albertus Magnus lapidem dæmonis appellat. *c* Factitiæ autem cadmiæ quinque sunt species. Prima Botryitis, quæ duplex: una quasi acinosa, & racemosa (quæ à Sylvio fornacaria vocatur) in summa fornace ærariorum affixa densa, modice gravis, in levitatem tamen magis inclinans, colore spodii, & quæ fracta cinerulenta, & æruginosa apparet. Altera botryitis species quæ fit casu in carbonibus arte & hasta ferrea, & hanc cadmiam Alexandrinã plurimi appellant. *d* Secunda onychitis, quæ ut vult Dioscorides lib. 5. cap. 46. à veteribus metal-

lis

a *Lapidis calaminaris, vel cadmia lapidosa, electio.*
b *Cadmia factitia, species quinque.* c *Botryitis species cadmia factitia duplex.* d *Onychitis species cadmia factitia quid.*

lis effoditur onychitæ lapidi similis. Tertia à Dioscoride loco citato placodes dicitur, id est crustosa; nam plurimis *a* crustis, & quibusdam quasi zonis cincta est, & ob id zonitis etiam appellatur: quam Arabes tutiam finissimam nominant: nobisque pharmacopœis ea est frequens. *b* Quarta ab eodem Dioscoride loco dicto ostracitis nominatur, gracilis & magna ex parte nigra, sed quæ testaceam faciem habet & terram amplexa est improbatur candida: quam Arabes tutiam crassam appellant: nobisque etiam frequens hæc & usitata est. *c* Quinta capnitis vocatur, id est furnaria, quæ ferme spodium sive pompholix, sive nil est, repetiturque in oris fornacum, & in summis fornacibus. Itaque his explicatis parva videtur esse differentia inter illas species cadmiarum factitiarum. Immo unum & idem sunt, & ex adem materia, iisdemque viribus, fossilis cadmiá lapidosa, pompholix, & spodium: possunt tamen discerni propter diversa loca, in quibus fiunt. Quomodo autem conficiantur species cadmiæ factitiæ, lege Dioscoridem lib. 5. capit. 46. Præterea etiam de

a *Placodes species cadmiæ factitiæ quid.* b *Ostracitis species cadmiæ factitiæ quid.* c *Capnitis species cadmiæ factitiæ quid.*

de illarum differentiis lege Georgium Agricolam & Cardanum & Fallopium quoque lib. de metallis, seu fossilibus cap. 12. & Christophorum Encelium Salveldensem lib. 1. cap. 21. 22. 23. de varietate, & natura corporum metallicorum, lapidum & gemmarum: & alios qui de re metallica scripserunt. Et quia aliquando lotum quærit lapidem calaminarem author: sane antequam lavetur, extingui debet: sicque eum extingues. Accipe lapidem calaminarem (hoc est, cadmiam illam lapidosam & ærariam) qui expers metalli, saporis *a* alieni, igne manan, & qui fuliginem edit luteam vel æream, in farinam tritus, aceto subactus & in sole siccatus coit in lapidem: eumque frustatim frange fractum ac divisum vasculo fictili, quali utuntur aurarii ad liquandum aurum impone, & vasculum in furno fusorio, ubi sint carbones accensi, appone & illic dimitte, donec rubescat lapis: tunc ab igne aufer vasculum, & lapidem ignitum in acetum fortissimum projice, ut extinguatur: quo extincto acetum abjice: abjecto aceto rursus lapidem vasculo infunde: rursusque supradicto furno appone, ut ignetur: ignitum ab igne depone, & iterum in

a Lapidis calaminaris, extinctio.

in acetum fortiſſimum, ut prius conjice, ut extingatur: eo extincto acetum ejice, eo ejecto, rurſus lapidem (ut prius) in ſupradicto vaſculo ignique ſupradicto appone, donec candeat: & cum canduerit ab igne ſepone, & ſtatim illum in aquam dulcem, vel pluvialem projice ut extinguatur. Extinctione facta aquam abjicies ad vices tertias ſemper abjiciendo aquam in qua extinctus fuerit & aliam pro quacumque vice iterando. Dioſcorides lib. & cap. prius citato, illum qui ad emplaſtra præparatur, igniri ſive accendi, extingui, & lavari jubet, in vino Aminæo, ſed qui ad pſorica medicamenta præparatur, in aceto fortiſſimo. Omnis autem talis, aut alia accedens præparatio, eo ſcopo fit, ut magis ſiccet, terreamque aut metallicam ſubſtantiam deponat, viſque deſiccativa major acquiratur. Alii ſecundum diverſitates ægritudinum in liquore proprio illum extingunt. Quare ſi quis egeat cadmia extincta, conſulerem eam extinguere ſecundum morbum & locum affectū patientis. Sicque extinctus, lavatur ut plumbum (cujus lotionem perquire in præcedenti capite) permutando pro quacumque vice aquam dulcem vel liquorem illi idoneum. Similiter quoq; tutia Græcorum extinguitur & lavatur.

VIRES

VIRES A QVIBVSDAM Medicis descripta.

Ad scabiem humidam ex pituita putri & salsa solenne : eam enim exiccat & pruritum compescit magisque siccaret & stringeret si ex solo oleo rosato omphacino, & non addito oleo violaceo.

CAPVT XIV.

Vnguentum martiarum magnum Myrepsi ex Sectione 3. de Vnguentis numero 46. Vsuale.

Vera Myrepsi descriptio ponderibus duplicatis.

a *Ceram naturaliter albam sume, qualis est Pontica, sed ejus loco factitiam usurpamus.*
b *Oleum antiquum maturum olivarum accipe.*
c *Rosmarinum cum floribus cape.*

a ℞. Ceræ albæ. ℔. ij.

b Olei communis. ℔. viij.

c Rosmarini.

Foliorum lauri.
Singul. ℥ viij.

d *Ta-*

d Tamaricis. ℥ vj.

e Ruthæ. ℥ viiij.

f Ebuli.

g Sabinæ.

Balſamitæ. Ocymi.

Salviæ. Polii.

Calaminthæ. Artemiſiæ.

h Helenii.

i Betonicæ.

Brancæ urſinæ.

k Spargulæ.

l Herbæ venti.

Pimpinellæ.

m Agrimoniæ.

n *Ab-*

d *Tamaricis ſummitates intellige : alii loco tamaricis, amaraci legunt.*

e *Ruthæ folia tenuiora ſunt accipienda, alii loco unc.* viij. *habent unc.* vij.

f *Ebuli folia accipe. Latini codices legunt eſbrii, pro majorana.*

g *Sabinæ partes tenerrimas accipe.*

h *Inulæ radices accipe.*

i *Betonicæ folia cape.*

k *Per ſpargulam, apparinam intellige.*

l *Per herbam venti, anemonem ſylveſtrem ſume.*

m *Agrimoniæ folia accipe.*

n *Absinthii summitates intellige.*

o *Per herbam sancti Petri, herbam paralisis accipe: alii verba scum odoratum accipiunt.*

p *Costi herbæ loco, Præpositus legit herbam sanctæ Mariæ quæ est secundum Ruellium mẽtha sarracenica, vel ageratum Matheoli.*

q *Sambuci foliorum loco, alii cymarum sambuci.*

r *Sempervivi majoris, alii herbam crassulam quod est telephium legunt Gallice (orpin.)*

s *Quinquenervia à Præposito omittitur, & per quinquenerviam, plantaginem majorem vel minorem hoc loco accipe.*

t *Per quinque folium, vulgare nostrum vel tormentillam intellige.*

n Absinthii.

o Herbæ sancti Petri. Sing. ℥iiij. ß.

p Costi herbæ.

q Sambuci foliorum.

Sempervivi minoris.

Herbæ millefoliæ.

r Sempervivi majoris.

Chamedryos.

s Quinquenerviæ.

Centaurii. Fragariæ.

t Quinque folii. Singul. ℥iiij. ß.

u *Per maluam ſylveſtrem althæam vel ebiſcum accipe.*
x *Cumini ſemen. accipe.*
y *Fœnugræci ſemen, ſume, & per exagia novem unc. j. ſe. vel drach. xij. intellige.*
z *Butyrum recens ſine ſale ſume Præpoſitus unc. j. drach. ij. cap. 9.*
* *Per mentham, ſarracenicam intellige.*
a *Rubiæ loco, alii papaveris rubri legunt, quod non probo.*
b *Per Cardiobotanum herbam cardiacam ſumes: Præpoſitus cardumcelli capit, quod explicant & dicunt eſſe carduum benedictum.*
c *Per matriſſylvam, author caprifolium intelligit.*
d *Per herbam moſchatam. primam geranii ſpeciē odoratam accipe.*

u Maluæ Sylveſt. rad.
x Cumini.
Myrrhæ. Singul. ʒ iij.
y Fœnigræci. Exag. ix.
z Butyri. ℥ j ß.
Seminis urticæ.
Violarum.
Papaveris albi.
* Menthæ.
a rubiæ. Menthæ agreſtis,
Lapathi. Politrichi
b Cardiobotani.
c Matriſſylvæ.
d Herbæ moſchatę.

e Cha-

e Florum chamæmeli.

Scolopendrii.

f Crispulæ.

g Herbæ camphuratæ.

h Styracis.

Medullæ ossium cervi. Singul. Exag. iij.

i Axung. ursinæ.

Galinæ &

Anseris.

Mastiches. Singul. ℥ j.

k Thuris. ℥. ß.

l Olei nardini. ℥ ij. ß.

e *Chamæmeli flores omittit Præpositus.*

f *Crispulam Barbari oculum bovis interpretantur: quare hoc loco buphthalmum Græcorum & latinorum accipe: alii cotulam non fœtidam accipiunt.*

g *Per herbam camphuratam, abrotanum quo hodie passim pro fœmina nos omes utimur sume.*

h *Styracem calamitem accipe.*

i *Axungiæ hæ omnes accipiendæ sunt recentes & non rancidæ neque fœtidæ.*

k *Thus masculum vel olibanum sume.*

l *Olei nardini Præpositus legit unc.* ij. *videlicet Myrepsi descriptionis,*

Herbas tritas impone vino bono die uno: altero autem die aufer è vino herbas, & contunde, conjicitoque in alterum vinum bonum, & illic finito diebus septem. Octavo autem die accipe has cum vino, & decoque, donec dimidium ejus absumatur, dein injice oleum, & denuo decoquito, quoad totum vinum consumatur. Posthæc amoveto ab igne, & colato, atque oleum rursus in lebetem conjice: & ubi parum lento igne fuerit excalfactum, injice styracem, postea butyrum, & adipes, oleum nardinum, mastichem, thus, postremo omnium ceram, omnibusque lento igne dissolutis, aufer tandem ab igne, *secun-*

nis, aut Alexandrini nulla enim penitus differentia est inter oleum nardinum Alexan. & oleũ nardinum Myrepsi scriptum Sectionis 16. num. 31. sed quia videtur jam multa quantitas olei cõmunis si 2. uncia addantur, dosis videbitur ad unguenti consistẽtiam minus cõmoda. Itaque videtur oleũ nardinum ad solum odorem conciliandum in pauca quantitate permixtum

secundum authoris mentem. & recondito in vase ac utere.

SCHOLIA.

Herbæ recentes omnes, scilicet calidæ, & odoriferæ ut salvia, polium, calamentum, arthemisia. absinthium, & cæteræ aliæ similes, postquam floruerint, vel in flore, vel post deperditum florem colligantur: quæ vero frigidæ & humidæ, ut duæ species sempervivi, quinquenervia, & aliæ similes, cum justam magnitudinem assequutæ fuerint, legantur: & à caulibus purgentur. Calidas & odoriferas separatim à frigidis & humidis minutissime incides, ac probe contundes, postea eas omnes fictili stricti orificii cum ℔. xiiij. vini odoriferi spatio octo dierum ad infundendum, una cum radicibus incisis & tusis, althææ & fœnugræci semine non contuso, cineribus calidis appones, vase tamen obturato. Alii per se aliquot horis infundunt althæam & fœnugræcum ad mucaginem conficiendam: confecta autem mucagine, & postquam cera est liquata, refrigerataque cum

oleo conjungunt. Peracta autem infusione in lebete ad mediæ partis vini consumptionem, igne lento decoques. Deinde oleum commune antiquum prædictum adjicies, & denuo omnia simul eodem lento igne concoques, donec totum vinum & aqueus humor herbarum in vaporem resolvatur. Tunc linteolo aspero calide transcolantur herbas valde extorquendo, ut nihil olei remaneat in herbis: colaturæ vero statim ceram confractam, ut liquefiat injicies; qua liquata butyrum, ursi, galinæ, & anseris axungias adjicies: his omnibus liquatis, ab igne lebetem sepones, & medullam cervi impones, mox styracem calamitem cum pauco oleo nardino solutam addes & commiscebis, interdũ tamen spatula lignea agitando: quibus optime commixtis & omnino refrigeratis, pulverem tenuissimum myrrhæ & thuris desuper insperges: denique reliquum nardini olei infundes, & vase unguentario usui reservabis.

Cæterum notandum erit, Myrepsum Sect.3. de unguentis num.3.4.5. tres habere descriptiones præter istam usualem: Paulum Æginetam lib.7. capit.8. & Ætium lib.12. capit. 44. maxime diversas in simplicibus & ponderibus. Præterea Alexan-

xandrinus lib. de compoſitione medicamentorum ſecundum loca capit.993. hanc habet uſualem deſcriptionem convenitque in ſimplicibus, in ponderibus vero minime, & ultra deſcriptionem hanc Myrepſi addit marathrum, nec axungiam anſeris habet. Præpoſitus vero particula xx.lib.2. herbam retrahit adjicit, & maturellam (quæ deſcribitur à nonnullis pro morella) præter deſcriptionem hanc; & anſeris axungiam prætermittit, variatque in ponderibus quorundam ſimplicium. Fuchſius quoque, qui hoc unguentum uſuale deſcribit, diverſæ eſt opinionis in quorundam ponderibus. Rurſus animadvertendum eſt, Myrepſum in ponderibus uti Exagio. *a* Exagium autem apud Græcos eſt pondus iiij. ℈. Proinde in omnibus compoſitionibus Græcorum ubi reperietur ſcriptum exagium ℈. iiij. intellige. De ſimplicibus nihil dicemus: cum Dioſcorides, Plinius, Fuchſius, abunde de his tractarunt. Si quis plura ſcire cupiat legat authores ſupra ſcriptos.

a. *Exagium Græcorum quid.*

VIRES A MYREPSO NOTATÆ.

Confert ad refrigerationem capitis, pectoris, ſtomachi, lienis, jecoris, alioſque dolores à frigiditate natos, & lienem induratum. Præcipue vero ad hydropicos, & lineoſos expertum eſt.

CAPVT XV.

Vnguentum reſumptivum ex XX. *particula ſecundi libri Præpoſiti Vſuale.*

Verus Præpoſiti textus.

a Per quarti: unum, unc. iij. *intellige.*

℞. Axungiæ porci recentis *a* quart. j.

Axung. Gallinaceæ.

Axung. anſeris.

b Oleum violatum & chamæmelinum & anethinum à Meſue deſcriptum accipe.

Axung. anatis. ana ℥ ij.

OEſypi humidæ. ℥. ß.

b Olei violati.

c Ceram

Olei chamæmelini.

Olei anethini. ana ℥ ij.

Butyri recentis. ℔. j.

c Ceræ albæ. ℥ vj.

c Ceram naturaliter albam & ponticam intellige, sed ejus loco albam nostram factitiam usurpamus.

Mucag. tragacanthi.

Mucag. seminis cotoneorum.

Mucag. seminis lini.

Mucag. radicis bismaluæ.

Mucag. gummi arabici. ana ℥. ß.

Misce fiat unguentum.

SCHOLIA.

Ceram confractam una cum oleis in diplomate ad liquandum appones: statim butyrum cum axungiis ut solvantur, in ceram liquatam injicies: demum oesypum, lignea spatula movendo: quibus dissolutis, & à diplomate sepositis & refrigeratis, mucagines radicum bismaluæ, seminum lini, seminum cotoneorum, tragacanthi, & gummi arabici arte, probe, & separatim extractas, in mortario lapideo cum pistillo ligneo celeriter agitando, una cum supradictis paratis conjunges, donec formam habeat unguenti. Alii mucagines factas consumunt cum oleis, quod minime fieri debet. Omnibus itaque mixtis & conjunctis, optimeque incorporatis unguentum ad usum servabis.

Hoc unum hic est notandum, unguentum istud recens, quam vetus efficacius esse: quia si diu servatur vetustate luteum colorem, & rancorem, tum calorem acquirit, ob axungiæ in ipsum ingredientes, nisi diligenter absumatur lenta & longa coctione humidum excrementitium muca-

mucaginum abluanturque axungiæ & olea, tum etiam nisi asservatur in pixide marmorea, in loco neque rancido neque calido: hoc vero potius ad temperandum & mediocriter refrigerandum comparatur: unde (salvo meliori judicio) ubi usus illius requiritur recens componi debet nec asservari: licet id à multis pharmacopœis non observetur. Præterea notandum, Fuchsium lib. 2. de compositione medicament. Sect. 15. illud describere: sed in simplicibus quidem convenire, in ponderibus maxime variare, oleumque chamæmeli & anethi prætermittere propter caliditatem.

Axung. Porci, Galinæ &c.]

De tempore collectionis, de electione, præparatione, repositione, & differentiis ipsarum axungiarum, pinguedinum, & adipum, pariter de extractione mucag. satis aperte diximus hoc lib. Sect. 1. de ceratis & emplastris cap. 1. & 2.

VIRES A QVIBVSDAM Medicis designatæ.

Dolores pectoris, & tussim mitigat, digerit, sputum facilitat, & pleuritidem resolvit.

CAPVT XVI.

Vnguentum citrinum in antidotario Nicolai in fine lib. Mesuæ scriptum, & à Myrepso Sect. 3. de unguentis num. 42. repertum Vsuale.

Verus illorum textus.

a *Plurimi codices legunt unc.* ij. *pro drach.* ij.

b *Myrepsus habet drach.* iij.

a ℞. Boracis. ℥ ij.

Camphoræ. ʒ j.

Coralli albi. ℥. ß.

b Amianti dulcis. ℥ j.

Vmbilici marini.

Tragacanthi albi.

Amyli.

Christalli.

Antali. Dentali.

Olibani.

c *Alii*

Nitri. ana ʒ iij.

Marmoris albi. ʒ ij.

Gersæ serpentariæ. ℥j.

Cerusæ communis. *c* ℥ vj.

c *Alii codices unc. j. legunt loco unc.* vj.

Tere tragacanth. & umbilicos marinos in mortario marmoreo cũ pistillo ferreo in simul, cætera sigillatim in eodem mortario terantur, & cum panno subtili albo cribrentur, & cum

d Axungia porcina novella albiss. ℔. j. ß.

d *Myrepsus nullum pondus axungiæ porcinæ determinat, ac sepum caprinum & axungiam gallinaceam in descriptione sua omisit.*

Sepi pecorini vel caprini. ℥ j. ß.

Axungiæ gallinaceæ. ℥ j.

Con-

Confice sic. Caldarium plenum aqua super ignem bulliat, & cacabus cum axungiis in caldario pendeat in ipsa aqua, & de ipso calore aquæ liquefiant axungiæ, & liquefactæ per subtilem pannum album colentur in catinum, & mox totus pulvis apponatur præter camphuram & boracem, cum spatula semper agitando, ut omniũ bona fiat incorporatio. Hoc facto in uno citro cavato vel duobus mittatur, & ponatur, cũ spatula, semper agitando, bulliant, & cum incipit bullire, iterum in caldario ponatur, & cum spatula semper agitando, pulvis camphuræ & boracis, donec incipiat frigere agitetur semper, & cum infrigidatum fuerit recondatur. Et nota, quod in lib. j. pulveris debent poni lib. viij. axungiæ.

Myrepsus loco jam citato sic conficit. Terantur in mortario cum

cum adipe suillo, dein cavato citri carmen adipe dissoluto, & fine ut coquantur ebullitione una in cavitate citri: postea accipiantur species supradictæ, tenuiter tritæ, & injiciantur in cavitatem citri cum adipe, & subacta probe repone in vase, atque dato.

SCHOLIA.

IN mortario ex porphyrio, tum pistillo ex eodem porphyrio facto, corallum album, umbilicum marinum, cristallum, antalem, dentalem, & album marmor in minutissimas partes comminue; deinde seinuctim super porphyrio molula è porphyrio succo limonum irrorato, ne quod tenuissimum est evanescat, ducantur, donec nulla prorsus asperitas sentiatur lingua admota, quod perfectæ levigationis verum est indicium: hæc ubi levigata fuerint, cætera simplicia ut cerusam, amiantum, boracem, nitrum, amylum, tragacanthum, gersam serpentariam, thus masculum, per se in pollinem rediges: redacta cum prædicto pul-

pulvere, prius parato, in eodem mortario porphyrio pistillo ligneo paulatim ducendo commiscebis: commixta omnia conservabis, quoad cætera sint præparata. Tunc axungias omnes optime collectas, & præparatas, in diplomate liquatas, coctasque una cum duobus aut tribus malis citreis in frusta divisis, non excorticatis (si odorem cum detersione requiras) ad citreorum succi totius consumptionem (quia in his vis mundificandi) deinde per pannum lineum colatas, & refrigeratas pedetentim super pulveres prædictos semper pistillo ligneo ducēdo affundes: desuper camphoram arte solutam conjunges ac commiscebis, donec omnia sint quamoptime mixta, & tota mixtio & compositio agitatione instar nivis splendeat, quam fictili nitido diligenter servabis.

Circa hoc unguentum plura notare debemus: imprimis, istud non posse diu in suo statu servari propter rancorem & calorem, quem successu temporis acquiret. Quare (salvo meliori judicio) monemus pulverem per se in vase vitreo diligenter servandum & axungias præparatas in alio fictili reponendas, & cum usus erit necessarius modo sequenti componatur. Accipe pulveris prædicti ʒ vj. & axungiæ ℥ vj. quæ

vj. quæ dosis convenit cum ea, quæ scripta est apud Mesuen in antidotario Nicolai, nempe pro lib. viij. axungiæ, sumatur lib. j. pulveris. Satius tamen esset admiscere duplicatum pondus pulverum, ut fiat unguentum spissius & melius cohærens. Præterea observa Myrepsum omisisse axungiam gallinaceam, & sepum caprinum, & pondus axungiæ porcinæ, restitutaque fuisse ut in hac descriptione videre licebit. Cæterum & Alexandrinum unum describere tum ponderibus, tum simplicibus ab hoc maxime diversum satis constat.

Boracis.]

a A Græcis Chrysocolla, Latinis auri gluten dicitur. Arabice Tincar. Est autem duplex. Nativa & Factitia. Nativa in fibris & venis gignitur, aut plerumque arenæ similis reperitur, aut *b* materiæ metallicæ adhæret, atque inde abrasa cujusdam arenæ similitudinem gerit, & cum aqua lavatur, pulveri similis subsidet. *c* Factitia triplex, Una ex dura natura fit, tingiturque lutea herba, ob idque herbacea dicta. Alia, qua aurifices ad conglutinandum aurum utuntur, fit ex puerorum

a *Chrysocolla duplex.* b *Chrysocolla nativa variæ species.* c *Chrysocolla factitia species tres.*

rum urina: cujus conficiendæ modum perquiras apud Dioſcoridem lib. 2. cap. 74. de urina hancque idem Dioſcorides lib. 5. cap. 52. inter ærugines enumerat, vocatque æruginem ſcoleciam. Plinius Santernam nominat. Ultima, quæ fit ex nitro foſſili. Plinius lib. 33. cap. 5. a Chryſocollam nativam eſſe ait humorem in puteos per venam auri defluentem craſſeſcente limo rigoribus hybernis uſque in duritiem pumicis. Serapius lib. aggregat. capit. Tincar. Chryſocollam in ripis maris nativam inveniri dicit, & eſſe ex ſpeciebus ſalis, calidam & ſiccam in quarto gradu. Sane ad nos allata fuit Chryſocolla è Portugalia, proveniens (ut conjicio) in ripis maris, lutulenta ſordida, admodum craſſa & unctuoſa, facile in aquam liqueſcens, ſi in loco humido reconderetur, quam puto noſtram eſſe chryſocollam uſualem, ſi recte purgata eſſet. Platearius ait eſſe gummi cujuſdã arboris naſcentis in tranſmarinis partibus, quod in æſtate fluit, & extractione caloris condenſatur & induratur. Quid ſit autem chryſocolla, ut plane intelligatur, dicamus authoritate Plinii lib. & cap. citato. b Nihil aliud eſt quam vena

a *Chryſocolla nativa quid, varia ſententia.*
b *Chryſocolla propria quid.*

vena putris, quæ pauca admodum in nostris officinis reperitur. *a* Probatur autem quæ è fodinis ærariis accipitur: proxime, quæ in argentariis fodinis invenitur: etiam & in plūbariis reperitur: vilior auraria. Unde, ut ingenue fateamur, dicemus authoritate Matheoli commentario lib. 5. Dioscorid. cap. 64. Chrysocollam varium sibi colorem vendicare, pro metallorum, in quibus foditur, ratione. Quæ enim in plumbeis accipitur, nigricat: quæ in argenteis albicat: & quæ in aureis, pallescit. Deficiente vera, uti debemus nostra usuali quæ venetiis defertur, quæque etiam alba arte admodum fit. Memini me vidisse chrysocollam veram antiquorum, quam diligentissime Dominus Nicolaus Raffius lutetianus, vir quidam chirurgiæ peritissimus, & in simplicibus examinandis sagacissimus (ut & plura alia simplicia notatu digna) servabat, *b* colore subviridem, per laminas separatam, crusta intermedia, habentemque notas à Dioscoride lib. & capit. prius citato distinctas,

Amianti.]

c Dioscorides lib. 5. cap. 113. amiantum ait

a *Chrysocollæ electiones variæ.* b *Chrysocollæ veræ electio.* c *De Amianto lapide variæ opiniones.*

ait eſſe lapidem, & in cypro naſci, ſciſſo alumini ſimilem. Plinius lib. 36. cap. 19. inquit Amiantum ſimilimum alumini, nihilque igni deperdere. Matheus Sylvaticus vult eſſe vitrum coctum, vel teſtas ovorum, ex quibus pulli à nido eruperunt. Theophraſtus lib. 3. plantarum capit. 17. nomen arboris conſtituit. Alexandrinus lib. de compoſitione medicamentorum, ſecundum loca cap. 1009. confirmat opinionem Dioſcoridis, & Plinii: & c. 1039. dicit ſe vidiſſe in unguento citrino gypſum coctum. Tandem verus Amiantus (ut conjicere poſſumus) *a* authoritate Dioſcoridis, & Plinii, eſt ſimilis alumini ſciſſo, ex albo viridis, qui in fila deducitur utrinque lapide duro ſeptus, ſaponem olente, qui in ignem projectus non uritur, ut nec alumen noſtrum plumoſum. Igitur, haud *b* dubie credendum eſt alumen noſtrum plumeum vulgare, alteram eſſe ſpeciem Amianti, cum parum differat ab Amianto lapide. Et quia locuti ſumus de Amianto lapide: qui eſt alumini ſcyſſo ſimilis dicamus quid ſit verum alumen ſcyſſum. *c* Eſt autem alumen verum ſcyſſum,

a *Amiantus verus quid, & electio.* b *Alumen plumoſum noſtrum, non eſt alumen ſciſcile Dioſcor. Sed poteſt ſub 2. ſpecie animanti reponi.*

ſum, *a* quod in fila deducitur, coloris ſubviridis, & nitentis, guſtu valde aſtringens ad ignem liquabile.

Umbilici Marini.]

b Umbilicus marinus eſt lapis ſeu gemma coloris interdum rubei, aut candidi, in littore maris inventus: quibuſdam umbilicus veneris dicitur, eo quod refert umbilicum puellæ formoſæ rotundum, & quaſi humani umbilici figuram. Hæc Chryſtophorus Encelius Salveldenſis medicus lib. 3. cap. 8. de Origine, varietate & natura corporum, lapidum, & gemmarum.

Chriſtalli.]

c Secundum Albertum magnum, eſt lapis, qui aliquando fit à frigore, aliquando autem ex nive, ſicut ſæpe ſe expertum dicit. Qua in re Plinius Alberto conſentit lib. 7. capit. 2. Gelu vehementiore concreſcit, nec alibi reperitur, quam ubi maxime hybernæ nives rigent, glaciemque eſſe certum eſt, quia impatiens eſt caloris. Mittit illud Oriens, India, Aſia, Cyprus, juga Alpum. Julius Solinus improbat in polyhiſtore ſuo. capit. 20. Criſtallum meram eſſe glaciem. Etenim ſi aqua concreta eſſet gelu

nec,

a *Alumen ſcyſſum, vel plumeum verum quid.*
b *Vmbilicus marinus quid; & unde nomen acceperit.* c *De Cryſtallo varia ſententia.*

nec, Alabanda Asiæ, nec Cyprus insula, hanc materiam procrearent, quibus regionibus incitatissimus calor est: immo etiam igni; vel solis fervore statim liquesceret. Alii effodi ajunt ex marmorum saxorumque canalibus ac veru & aratro excitari, & ad torrentes deferri, reperirique in venis tam metallicis quam propriis in multis regionibus. Diodorus lib. 3. antiquorum gestorum cap. de Indis, ait, esse *a* lapidem ex aqua pura ortum. & congelatum non quidem frigore, sed divini caloris vi, quam duritiem servat variosque suscipit colores. Proinde quid sit, & quo loco inveniatur, in hoc Diodoro assentimur, fieri ex purissimo humore lapidescente in visceribus terræ, & concrescere, ac tandem tractu temporis, pluviarumque impetu, quæ in præruptis montium universam deradunt terram, apparere. *b* Præstantissimum autem est album, aquæ clarissimæ modo perlucens.

Antalii.]

c Antalium est testaceum quoddam marinum, fistulæ modo longum, & concavum, foris strictum longitudine digiti parui, cujus effigiem Matheolus inter buccina

a *Cristallum verum quid.* b *Cristalli electio.*
c *Antalium quid.*

cina in lib. 2. cap. 4. Dioscoridis depinxit, ut videre licebit.

Dentali.]

a Dentalium est parva concha marina dentalem rimam habens; & à recentioribus dentalium appellatur, quod cum dentibus maxime caninis similitudinem habeat. Cæterum notabimus, hæc duo simplicia non esse lapides (ut plurimi volunt) sed potius è concharum genere. De his satis Plinius lib. 9. cap. 36. de purpuris & buccinis.

Nitri.]

b Nitrum vel litrum ab Arabibus baurach dicitur. Est autem nitrũ res cognata sali, & veluti species salis. Hinc sal lucidum, sal Alexandrinũ, sal Anderene, sal nitrum, unũ & idem sunt. *c* Nitrum duplex. Nativum & Factitium. Nativum fit ex terra nitrosa, aqua perfusa & sole siccata, *d* Nec id aliorum fossilium modo cæditur, aut ligone à montibus effoditur, aut ex terraneo specu excavatur, aut ex solitudine in campis concretum legitur. *e* Probatur nativum nitrum leve, colore purpureo, aut candido, in foramina dehiscens, quasi quid spon-

a *Dentalium quid.* b *Niti varia appellationes.*
c *Nitri duo genera.* d *Nitrum nativum quid.*
e *Nitri nativi electio.*

ſpongioſum, ſalſum, mordax, quale ex Brumis affertur. *a* Factitii nitri plura ſunt genera. Unum ex nili aquis, nitrariis infuſis, & quadraginta diebus exſiccatis fit: ut teſtatur Plinius lib. 31. cap. 10. De aliis generibus lege eundem Plinium eodem lib. & cap. Et Galenum lib. 2. de Simpl. medicament. facultatibus cap. 20. Ac de nitro hæc ſufficiant. Nunc ad aphronitrum accedamus. *b* Aphronitri duo ſunt genera. *c* Unum quod ex ſpeluncarum cameris, ſtiriarum inſtar concretum pendet. Id quia in ſe terram nullam, vel gravitatem, aut craſſitiem habet, optimum à Galeno & album appellatur. *d* Alterum eſt quod liquidum adhuc excidens in terram defertur. Id ob admixtam ſibi terram grave eſt, terreamque craſſitiem habet: ob id nigrius & deterius exiſtit. *e* Plinius unum duntaxat facit, idque eſſe ſcribit, quod in ſpeluncis, & antris mollibus diſtillans colligitur. Id, quia ſpumæ concretæ ſimile eſt, conjunctis duabus vocibus aphronitrum nominarunt: ut illud à ſpuma nitri, quæ non ita compacta & concreta eſt, ſed aſpectu triticeæ farinæ ſimilis:

a *Nitri factitii genera plura.* b *Aphronitri genera duo.* c *Aphronitri primum genus.* d *Aphronitri ſecundum genus.* e *De aphronitro Plinii aſſertis.*

lis : nam ſeparatis nominibus ſpumam nitri Græci ἀφρονίτρου dicunt. Alii, ut ſal & ſpuma ſalis ſe habent adinvicem, ita volunt nitrum & ſpumam nitri, adinvicem ſe habere. Eſtque ſalis ad nitrum, & contra nitri ad ſalem eadem ratio. Item ſpumæ ſalis ad ſpumam nitri magna cognatio. *a* Cæterum ſpuma nitri, aphronitrum, flos petræ, vel parietis quod halinitrum dicitur (vulgo ſalpetræ) eſt res leviſſima, gleboſa, friabilis, ſpumoſa, mordens, coloris pœne *b* purpurei & hæc optima. Verum ſecundum Galenum lib. 9. de ſimplicium medicament. facultatibus, ſpuma nitri, & aphronitrum in hoc differunt, quod ſpuma nitri aſpectu triticeæ farinæ ſimilis ſit : hoc eſt, laxa, diſſoluta & candida : aphronitrum autem farinæ ſpeciem non habeat, neque ita diſſolutum, aut laxum, ſed concretum, coactum, & compactum ſit : ut hinc pateat ſpumam nitri conſiſtentia, quam aphronitrum, tenuiorem eſſe. Halinitrum autem colligitur ex parietibus, & rupibus vetuſtiſſimis, atque ut lixivium tranſcolatur, & igne concoquitur ex arbitrio artificis : eoque utimur ad conficiendum pulverem tor-

a *Halinitrum quid, & electio.* b *Spuma nitri & aphronitri differentia.* c *Nitri veri, ſpumæ nitri & aphronitri, ſuccedaneum.*

mentorum & bombardarum. *c* Sed quia ad manum nitrum, aut aphronitrum, vel nitri ſpumam, habere non poſſumus, illorum loco vulgari noſtro halinitro utimur, ſed præparato, ut ſolet quotidie ab artificibus præparari.

Gerſæ Serpentariæ.]

a Eſt Ceruſa. Per hanc autem ceruſam intelligamus eam, factam ex radicibus dracontiæ minoris, vel ex radicibus ari, tamen radices ari non præſtant ſecundum mẽtem Gal. lib. 11. ſimpl. med. ubi ita ſcribit. Arum terrena eſſentia conſtat, ſed calida: proinde extergendi vim poſſidet, verum non valentem, ſicut dracontium. Meſues ſententiam confirmat Galeni in ſuis ſimplicibus capite de luf: *b* aitque luf criſpum quod eſt dracontia minor, magis abſterſivum quam planum. Igitur authoritate Galeni & Meſuæ radices dracontiæ minoris potius hoc loco accipiendæ ſunt, quã ari radices: quæ conficiuntur in hunc modum. Radices draconteæ minoris (quæ folio conſtat hederaceo, magno, candidis notis inſigni, caule recto, bicubitali, verſicolore, maculis reſperſo purpureis, ita ut anguen plane referat, baculi craſſitudine, fructu

a *Gerſa ſerpentaria quid.* b *Draconteæ minoris electio.*

fructu summo in caule racematim cohærente: quam hodie nonnulli pharmacopœi male *a* majorem draconteam appellant, ut videre erit apud Dioscor. lib. 2. cap. 161.) hujus inquam draconteæ radices sufficienti quantitate tempore veris lectas, videlicet Julio, vel Augusto, secundum mentem Arnaldi de Villa nova, à terra lutoque mundabis, easque *b* depurabis & ad solem desiccabis ad humidi radicalis consumptionem. Desiccatæ subtillissime in mortario marmoreo cum pistillo ligneo terantur, & in fictili vitreato ponantur: desuper aquæ rosaceæ quantitatem sufficientem affunde (nempe si sint ℥ xij. radicũ, aquæ lib. j. ß.) intractãdo leviter spatula lignea, ut imbuantur & commisceantur. Tum linteolo cooperiantur, ne pulvis extraneus incidat: & soli exponantur ut siccẽtur, spatulaq; aliquoties moveãtur. At ubi jam totum optime siccatum fuerit, tantumdem desuper aquæ rosarum iterum affundes, agitando ut supra: vasque cooperies & soli denuo ad siccandum appones. Deinde ubi totum rursus siccatum erit, adhuc tantumdem aquæ rosarum su-

L 2 per

a *Quorundam pharmacopœorum opinio reprobata.*
b *Gersam serpentariam conficiendi modus.*

per impones, ducendo ut prius ſpatula lignea, ac vas cooperi, & ad ſolem ſiccato. Hancque præparationem adhuc ſemel vel bis repetes, ſemper in ſole ſiccando. Denique ſiccatam farinam pauco vino albo, & odorifero, aut ſucco citreorum immerge, & trochiſcos effinge, quos in vaſe vitreo ſtricti orificii, ut facilius tegantur, ad uſum repone. Alii ceruſam vel gerſam è radicibus draconteis, ut amylum ex frumento conficiunt, uterque modus optimus, ſed prior efficaciſſimus.

VIRES EX ANTIDOTARIO Nicolai.

Pulchram reddit faciem, lentigines de facie tollit, nigredinem à ſole inductam delet, & puſtulas in quacumque parte corporis ortas ſalſi phelgmatis, mirabiliter reprimit & aufert: cicatricem in corpore ſubtiliat, leproſi faciem ſi ex eo unguatur multum emundat: rubori oculorum, prurituі, & pallori, & eryſipelati conducit.

CAPVT XVII.

Vnguentum ad ſcabiem expertum incerto autore interdum Vſuale.

Vera deſcriptio in codice manu ſcripto reperta.

℞. Butyri recentis ſine ſalc.
Axungiæ porcinæ recen̄.
Succi fumariæ non depurati.
Sulphuris *a* communis. ana ℥ j.
Miſce fiat Vnguentum.

a *Per ſulphur commune factitium intellige.*

SCHOLIA.

AXungiam porci collectam & præparatam, ſecundum modum à nobis præſcriptum in emplaſtris, una cum butyro recenti in mortario plumbeo piſtillo pariter plum-

beo friando contundes. Deinde ſulphuris pulverem tenuiſſimum deſuper inſperges, ſemper piſtillo ducendo, ut commiſceantur: quibus rite mixtis, guttatim ſuccum fumariæ affundes, piſtillo agitãdo ut prius, donec pars ſucci probe imbuta fuerit, hæcque agitatio repetetur quotieſcumque ſuccum alium immiſcebis. Quantitate vero præſcripta ſucci pedetentim injecta & omnino imbuta, ſpatio duarum horarum iterum totum, ut rite ſuccus permiſceatur, & ab eis non ſeparetur ſubagitabis, ſicque præparatum ad uſum ſervabis.

Sulphuris communis.]

a Sulphur Ghibur, vel Albuſac Arabice dicitur. Ariſtoteles, Sect. 24. ultimo problemate ait antiquos vocaviſſe ſulphur, ſacrum: atque is idem ſulphur appellat pabulum ignis ſubterranei. Eſt autem ſulphur de genere metallorum mediorum ſecundum Fallopium lib. de medicatis aquis, atque foſſilibus cap. 8. & ſecundum Chriſtophorum Encelium Salveldenſem Medicum lib. de Origine varietate, & natura corporum metallicorum, lapidum & gemmarum. *b* Sulphur, terra eſt, actione caloris exacte in eſſentiam ſulphuream com-

a *Sulphuris varia nomina ſecundum Arabes & ſecundum Ariſtotelem.* b *Sulphur quid varia opiniones.*

commutata aquosis tereſtribus, & igneis trāſeuntibus: vel pinguedo terræ in minera terræ per temperatam decoctionē inſpiſſata, quouſq; ſit indurata, & ſicca facta. Alii id generari ex puriſſima ſiccitate terræ, in qua omnibus modis prædominetur ignis, ajunt & quaſi eſſe vaporem calidum, & ſiccum. *a* Tamen ut verum fateamur, ſulphur eſt vera pinguedo terræ, in minera terræ per temparatam decoctionem inſpiſſata; &c, ut ſatis docte Fallopius & Chriſtophorus Encelius lib. & cap. prius citatis docuerunt. Chymiſtæ principium, & patrem metallorum, & partem lapidis philoſophorum eſſe dicunt. *b* Duplex autem ſulphur. *c* Foſſile ſeu Nativum, & Factitium. Foſſile, effoditur in quibuſdam paludibus & montibus Iſlandiæ & Græcis, ἄπυρον dicitur (id eſt) ignem non expertum vel quaſi ſine igne: à Latinis & Pharmacopœis. Vivum appellatur, quod ex vena ſua ſine aliqua coctura accipiatur, vel quod nondum liquefactum, & in fruſtula fuſum ſit. Matheolus in Comment. lib. 5. cap. 83. Dioſcorides, ait effodi *d* aperto undique cælo, non autem

L 4 in

a *Sulphur proprie quid.* b *Sulphuris genera duo.* c *Sulphuris nativi effoſſio.* d *Matheoli opinio.*

in cuniculis & subterraneis specubus. a Probatur nativum seu fossile, & quod apyron vocamus, secundum Dioscoridem lib. & cap. citato, nitidulū ac fulguris modo splendidum, perlucens, minime lapidosum, quodque sit effossum: factitium, quod arte paratur perfectum, ignemque expertum. b Fit autem diversis modis. Nam aut ex aquis coquitur, aut ex gleba effossa, & in vasis coctis perficitur igni. De aliis modis conficiendi, lege Dioscoridem lib. & cap. citato. Fallopium eodem lib. & cap. dicto. Christophorum Encelium lib. 1. cap. 2. de Origine, varietate & natura corporum metallicorum, &c. c Laudatur factitium, extinctum, sive mortuum ita; quo enim virentius, quo magis oleosum & pingue, eo melius. Et hæc sunt, quæ novi & legi de sulphure: quod si plura voles, require apud Georgium Agricolam in fine, lib. 3. fossilium. Plinium lib. 35. capit. 15. Avicennam lib. 2. capit. de Sulphure.

VIRES AB EODEM AVTHORE manu scripto.

Scabiei & morpheæ, quod vulgus (mal de saint Main) appellant, maxime confert.

CAPVT

a *Sulphuris nativi electio.* b *Sulphuris factitii conficiendi varii modi.* c *Sulphuris factitii electio.*

CAPVT XVIII.

Vnguentum comitissi descriptum à Guillelmo Varignano. in tract. 16. cap. 4. de retentione menstruorum & oris matricis & exuccatione ejus Vsuale.

Varignane textus verus.

℞. Corticum medianorum castanearum.

Glandium corticum medianorum.

Arboris Glădium corticum medianorum.

a Myrtillorum.

b Caudæ Caballinæ.

c Gallarum.

d Corticum fabarum.

a *Myrtillorum semen sume.*
b *Per caudam caballinam, equinam intellige.*
c *Gallas non perforatas, virides, & firmas intellige: eo quod acerbiores sunt perforatis.*
d *Cortices fabarum parvarum & nigrarum accipe.*

e Ozimorum vel arillorum uvarum.

f Sorbellarum Siccarum.

g Mespilorum.

Radicum chelidoniæ.

Foliorum pruni sylvestris *h* ana.

Terantur grosse, & coquantur in

Aquæ plantaginis. ℔. viij.

perfecte, & colentur

. ergo *i* ceram quantumvis.

dissolve cum

Oleo myrtino.

e *Ozimorum vel arillorum uvarum maturorum cape, qui acini dicuntur, quia tunc maturescente uva sicciores fiunt.*

f *Sorba immatura ad humidi consumptionem siccata accipe.*

g *Mespila immatura, non autem siccata cape: ut nonnulli volunt nam tantum abest, ut siccari possint, ut putrescant & maturescant magis.*

h *Per ana author intelligit partes æquales, videlicet unc.* j. *se.*

i *Ceram citrinam accipe & per quãtumvis unc.* viij. *se. intellige secundũ exigentiam confectionis unguenti.*

k *Cum*

& lavetur novies cum k aqua prædicta, semper innovando quacũque vice, postea

♃. Corticum prædictarum *l* castanearũ.

m Glandium, & arboris ejus.

n Gallarum. ana *o* P.j.

Cineris ossium cruris bovis.

Seminis myrtillorum.

Ozimorum alias arillorum. ana P. ß.

p Terantur & fiat pulvis tenuissimus.

♃. ergo istius pulveris. P. ij.

q Trochisc: de Cara-

k *Cum aqua prædicta, hoc est, prædicta decoctione.*

l *Castanearum cortices medianos accipe.*

m *Glandium, & arboris ejus cortices medianos sume.*

n *Gallas virides & non perforatas accipe.*

o *Per P.j. unc.j. intellige.*

p *Post ozimorum, alias arillorum, sequitur sorba & mespila & omissa fuerunt à bibliopola, idcirco apponenda sunt unc. se. quæ faciunt P. se.*

q *Trochiscos de carabe, Varignanæ descriptionis scilicet, si reperiantur in suo antidotario, si vero non, trochiscos illos de carabe*

à Mesue descriptos. Et per P. se. vel P. j. unc. se. vel unc. j. intellige.

r *Oleum mastichinum varignanæ descriptionis si in suo antidotario reperiatur, si vero non inveniatur scriptum, istud Mesues accipe, & per quod suffi. unc. iiij. intellige. Nihilominus tamen si astringentius recuperetur intentione & scopo unguenti felicius usurpare poterimus.*

be. P. ß. alias Par. j.

Misceantur, & cum prædicta cera & oleo myrtino, lotis, addito eis

r Oleum mastichinum non lotum quod sufficit.

SCHOLIA.

ANtequam ad methodum conficiendi hoc unguentum deveniamus, quid author velit intelligere, videamus. Cum dicit. Recipe ergo istius pulveris P. ij. Trochiscorum de Carabe P. ß. alias P. j. &c. sic (ut mea fert opinio) intelligere debemus. Si Pharmacopœus nolit totam compositionem facere, sed partem aliquam, accipiat pro partibus duabus istius pulveris, trochisc. de carabe P. ß. vel unam, ceræ lotæ novies

novies cum prædicta decoctione Par. vj. olei myrtillorum loti novies cum prædicta decoctione Par. xvj olei mastichini non loti P. ij. Sed si totum velit componere, assumat Par. j. ß. vel tres trochiscorum de carabe, olei mastichini ℥ iiij. cum prædictis ante paratis, reliquendo textũ illum ♃. istius pulveris Par. ij. &c. Præterea satis nobis apparet, pondus & dosim simplicium, decoctionem ingredientium, omissa fuisse: quare autem Varignana omiserit, ignoramus, & pariter dosim. ceræ, & olei: nisi forsan (salvo meliori judicio) quia sunt menstruorum fluxus, aliis quam aliis vehementiores, aut parciores, unde aliis magis quam aliis, major, aut parcior requiritur astrictio; ea de causa dicemus præstantius esse ut qui hoc unguento voluerit uti, præscribat simplicia omnia pondera pro ratione fluxus menstrui, vel erratum traductori aut Typographo attribuemus. Tamen ne desit nobis hoc unguentum necessitatis tempore, propter pondera simplicium omissa, consuevimus in nostris officinis hoc transcriptum à Præposito unguentum præparare, definitis, & determinatis ponderibus cujus descriptio talis est.

Præ-

Præpoſiti vera deſcriptio.

℞. Corticum medianorum caſtanearum.

Corticum medianorum arboris Glandium, & Glandium.

Myrtillorum.

Caudæ equinæ.

a Inter caudam equinam & cortices fabarũ Præpoſitus omiſit gallas, & addendæ ſunt.

a Corticum fabarum.

Acinorum uvarum.

Sorborum ſiccorum immaturorum,

Meſpilorum immaturorũ.

Radicum chelidoniæ.

Foliorum prunorum ſylveſtrium. ana ℥ j. ß.

Teran-

Terantur grosso modo & coquantur in

Aquæ plantag. ℔. viij.

usque ad consumptionem medietatis, & tunc

℞. Ceræ novæ. ℥ viij. ß.

Olei myrtillorum. ℔. ij. ß.

Misce & lava oleum & ceram cum suprascripta decoctione novies, semper renovando aquam: & cum hoc factum fuerit.

℞. Corticum castanearũ.

Glandium.

Corticum medianorum arboris Glandium.

Gallarum. ana unc. j.

Cineris ossium cruris bovis

Myrtillorum.

Acinorum uvarum.

Sorborum ſiccorum.
ana ℥. ß.

Trochiſcorum de Carabe.
b ℥ ij.

b *Alii legũt unc.* j. ß *ſed ſi valentius, aſtringentius exſpectemus, legendum erit unc.* ij. *ſe. vel* iij.

Pulveriſentur ſubtiliter pulveriſanda, & cum prædictis cera & oleo lotis cũ ſupra dicta decoctione fiat unguentum. Hic finitur textus Præpoſiti: nunc accedamus ad veram methodum conficiendi.

Vnguenti hujus conficiendi vera methodus.

Recentia ſimplicia, ſecundum naturam, quam in ſe habent (nam alia aliis citius vel tardius recuperantur) tempore & loco collecta, craſſiuſcule in mortario æreo, cum piſtillo ferreo, ordine trita in lib. viij. aquæ plantaginis, ad mediæ partis conſum-

ſumptionem coquantur: ut cortex medianus arboris quercini, acini uvarum, radix chelidoniæ, meſpila, ſorba, cauda equina, ſemen myrtillorum, pruni ſylveſtris folia, cortices fabarum, mediani glandium, caſtanearum cortices, & gallæ: quæ omnia ubi recte cocta erunt, duarum horarum ſpatio in infuſione permittes: ſignum autem perfecte coctionis, & infuſionis tale eſt. Accipe gladium maxime nitidum & politum ex ferro factum, immitte in decoctum: *a* ſi cum extrahis ſit lividius, & nigreſcens cum adhæſione difficulter eluibili, tum concoctio, & infuſio perfecta & peracta, quam infuſionem mediocriter calidam velociter extorquendo colabis, & colaturam in novem partes divides: poſtea ceram minutatim inciſam, una cum oleo myrtino in diplomate liquatam, & adhuc calentem lavabis cum prima parte colaturæ calidæ, agitando ac verſando donec totum refrigeretur: deinde vaſe duplici liquabis, & refrigerare permittes aquam, quam ſubſidentem ex lotione dejicies: eâ ejecta ceram iterum eodem vaſe, eodemque igne liquabis: & cum ſecunda parte decocti calidi lavabis, tractando ut prius, donec frigeſcat: & aquam ut

a *Decoctionis hujuſce unguenti ſignum.*

ut antea dejicies: sicque septies etiam iterabis, donec nulla pars prædictæ colaturæ supersit: postremo totum probe ablutum in diplomate liquabis, & pulverem tenuissimum ossium cruris bovis duriter agitando immiscebis: paulo post pulveres sequentium pertenues & in pollinem redactos, ordine, ut corticum mediorum arboris quercini, & mediorum corticum glandium, corticum mediorum castanearum, gallarum, sorborum, mespilorum, seminum myrtillorum, acinorum uvarum, insperges: desuper trochiscos de carabe celeriter & diu agitando conjunges, & subiges: subactaque omnia simul & complexa ad consistentiæ spissitudinem servabis ad usum. In hoc animadvertendum Varignanam in pulvere hujusce unguenti sorba & mespila omisisse, & Præpositum in eodem pulvere mespila, & gallas in decoctione, quas addere oportet post caudam equinam, cum decoctionem parare volueris, & mespila addere convenit cum pulvere dicti unguenti. Præterea Varignanam in suo textu scribere. Et lavetur novies cum aqua prædicta semper innovando quacumque vice, &c. Revera melius (pace aliorum dixerim) ac præstantius esset hoc unguentum, si non ejiceretur decoctum

coctum, sed potius cum eo misceretur: quod certe fieri non potest, si in promptu egeamus: si vero conservare velimus, nequimus quia brevi temporis spatio ob decoctionem corrumperetur, & rancidum redderetur. Cæterum fieri non potest hoc unguentum nisi mense septembri, vel octobri, propter multa simplicia, quæ tantum his duobus mensibus in suo statu reperiuntur. Caveat porro pharmacopœus ne in grumos abeat hoc unguentum cum volet simplicia probe trita miscere: & si forte fortuna abeat in grumos, sic restituere poteris. Accipe setaceum & pedetentim unguentum grumatum super dictum setaceum spatula lignea fricando transcola, donec totum sit transcolatum. Hoc namque pacto restitutum erit, nec ulli grumi apparebunt.

Cineris ossium cruris bovis.]

a Ossa in cineres redigenda, aptius interlunio colligi debere videntur: quod nimirum lunæ incrementum aut decrementum, corporis totius partes imitentur. Nec vero dubium est quin interlunio solidæ omnes partes quam plenilunio, longe sint ficciores. *b* In cinerem autem hac me-

a *Quo tempore sint colligenda ossa cruris bovis ad cineres faciendos.* b *Ossium cruris bovis ustio.*

methodo offa convertes. Vas figulinum accipito, & offa recentia, confracta, carne carentia, cruris bovis, in dicto vase imponito, vasque furno fusorio circumcirca carbonibus accensis adaptetur & illic dimittatur, semper ignem continuando eousque dum dicta ossa alba appareant absque ulla nigredine & friabilia digitis sentiantur, quod vere signum adustionis est: sic adusta diligentissime ad usum illa servabis. Sicque cætera ossa animalium ad cinerem faciendum debent eligi & aduri.

Olei myrtillorum.]

Scilicet ℔. ij. ß. Alii mastichinum & myrtinum æquis partibus sumunt. Magna est contentio inter nos pharmacopœos, cum hoc unguentum parare volumus, quale oleum myrtinum debeamus accipere, compositum, an simplex, cum de eo nihil determinet Varignana, neque in suis tractatibus aliquam olei myrtini descriptionem assignarit. Quidam sentiunt, & affirmant accipiendum esse oleum cõpositum myrtinum, ex descriptione Alexandrini, quod Præpositus in suo dispensario scripsit: sed (pace dixerim) perperam: nam oleum myrtinum compositum Alexandrini continet crocum, quod maxime menses educit; quod certe est præter

ter ſcopum : nam ad ſiſtenda menſtrua unguentum componitur ; ergo myrtinum oleum compoſitum à Nicolao Alexandrino & Præpoſito minime conferet: nam poros & meatus reſeraret & aperiret & non aſtringeret . ratione croci : ſed ſua ſe tuentur ratione dicentes : unguentum omnino aſtrictivum eſſe , nec ſimplicia aſtringentia , quæ in unguento ponuntur, poſſe operari,& ad partes deferri, ſine aliquo vehiculo & deferente : & hac ratione oleum myrtinum compoſitum uſurpant, ut crocus ſit pro vehiculo, & vim aliorum ſua ſubtilitate deferat, & ad agendum excitet. Tamen (ſalvo eorum judicio) exiſtimo , ut Luminare majus ſect. 10. de ceratis & unguẽtis teſtatur, ſimplex oleum à Meſue deſcriptum 12. diſtinctione de oleis ſumendum, cum ſcilicet non ſit opus dilatatione meatuum , ſed omnimoda aſtrictione . Nihilominus medicorum ratiocinantium eſto ea de re judicium.

VIRES A DOCTORIBVS *Medicis notatæ.*

Incœptum abortum prohibet: hæmorrhoidas ſiſtit, ac laxatos lumbos conciliat.

CAPVT

CAPUT XIX.

Vnguentum mundificatiuum de apio authore incerto: interdum Vsuale, & mihi frequens.

Verus textus in codice manu scripto repertus.

℞. Absinthii nostri vulgaris foliorum.

Foliorum solani hortensis.

Foliorum portulacæ sativæ,

Caprifolii. Mille folii.

Poligonii maris.

Sempervivi minoris cum albis florib.

Foliorum plãtaginis majoris.

Radicis rubiæ majoris.

Sempervivi majoris.

Foliorum betonicæ.

Foliorum verbenæ.
ana M. iij.

Foliorum apii. M. v.

Foliorum pimpinelle.

Florum hyperici.

Foliorum Galiopsis. id est, urticæ fœtid.

Centaurei minoris summitatum.

Foliorum pilosellæ.

Foliorum chelidoniæ.
ana M. j. ß.

Foliorũ *a* rostri porcini.

Foliorum *b* simphyt petræi. ana M. ij.

a *Per rostrum porcinum, dentem leonis vel caninam herbam à quibusdam caput monachi dictam, sume.*
b *Simphytum petræum, Dioscoridis scilicet, quodque habet folia thimi, & origano tenui similia, intellige.*

c *Sim-*

c Simphytum majus illud quod aliqui pecton vocant cape.

Radicis *c* simphyti majoris. ℥. v.

Pistentur herbæ & radices & bulliant una cum

Succi peti. ℔. ij. &

Olei communis veteris. ℔. ix.

ad consumptionem humiditatis herbarum & succi, tunc colentur colaturæ adde

Ceræ citrinæ. ℔. ij.

Sepi Caprini.

Resinæ puræ. ana ℥ xij.

Terebinthinæ communis. ℥ ix.

Misce fiat ungentum.

SCHO-

SCHOLIA.

Secundum veram collectionem, nempe cum tempus oportunum erit, herbæ recentes legantur, & nitidæ mensurateque incidantur ordine, & in mortario lapideo vehementissime tundantur. Deinde in fictili stricti oris bene cooperto, cum quantitate olei prædicta, & succi peti, spatio unius diei, ut infundantur, igne lento fovebis. Infusione peracta eodẽ igne ad totius humidi aquei herbarum, & succi peti consumptionem coques: quo humido consumpto, panno cannabino maxime rudi calide totũ velociter extorquebis: colatum igni prædicto una cum cera confracta & sepo caprino, ut liquescant, appones: paulopost resinam pariter divisam, spatula ducendo. His liquatis, & ab igne depositis terebinthinam addes. Hoc itaque modo mundificativum de apio arte erit paratum, quod ad usum servabis. Augusto & septembri mense confici debet, eo quod hoc tempore herbæ maxime vigent.

In hoc maxime notandum chaos esse apud nos pharmacopœos, & tantam diversitatem ad mundificativum de apio

conficiendum. Nam plurimi ſunt qui ex aloe, mirrha, ſarcocolla, terebinthina & melle roſato conficiunt. Alii ex terebinthina, & melle roſato: alii unguento Ægyptiaco, & apoſtolorum utuntur pro mundificativo. Sed (ut verum fatear) nullum mundificativum debemus tenere paratum, pararique debet ſecundum exigentiam morbi, ſimplex vel compoſitum. Nam in dies magis minuſue morbus mundificatione indiget. Igitur cenſerem mundificativum componi, cum à medicis & chirurgis indicitur, pro ratione morbi.

VIRES A QVIBVSDAM probatæ.

Ad ulcera emundanda maxime prodeſt.

CAPVT XX.

Vnguentum Neapolitanum maxime expertum authore incerto: Interdum Vſuale.

Vera deſcriptio in codice manu ſcripto reperta.

℞. Radicis altheæ.

Radicis ireos noſtratis.

Radicis

Radicis inulæ campanæ.

Radicis bryoniæ.

Radicis lapathii acuti.
ana ℥ iij.

Foliorum ſalviæ.

Roſmarini. ana M. j. ß.

Fumatiæ.

Scabioſæ cum toto. ana. M. ij.

Incidantur radices minutim & cotundantur, herbæ ſimili modo, & omnia in

Vini albi odoriferi. ℔. iij.

Aquæ fontis. ℔. j. ß.

ſpatio ſex dierum infundantur, bulliantque una cum

Butyri receñ. ſine ſale. ℥ iiij.

Axung. porcinæ veteris non fœtidæ. ℔. j.

Olei communis veteris. ℥ iiij.

ad consumptionem vini & aquæ, exprimantur & infrigidentur, addendo

Theriaces veteris. ℥ j. ß.

Mithridatii veteris. ℥. j.

Sulphuris vivi. ʒ ij.

Argenti vivi extincti cum terebinthina. ℥ vj.

His omnibus additis, diuque agitatis in mortario totum ad usum reconde.

SCHO-

SCHOLIA.

IN prædicto vino albo & aqua, radices omnes tempore convenienti lectas, & à ſordibus repurgatas, minutim inciſas, ordine, in mortario lapideo, piſtillo ligneo, multum contundito: pariter fumariam, ſcabioſam, ſalviam, & roſmarinum: tum hæc omnia ubi contuſa per ſe erunt, ſex dierum ſpatio in fictili ſtricti orificii obturato, infuſioni adaptentur, igne levi & tardo ut melior omnium fiat infuſio, & penetratio (melius tamen vinum igne, ne aceſcat, nõ caleſcere.) Septimo autem die eodem igne coquantur, ad mediæ partis conſumptionem ſpatula movendo. Ubi cocta fuerint, & dum adhuc calent linteolo aſpero in aliud vas contorqueantur & exprimantur: in colaturam adhuc calidam oleum, butyrum, axungiam porcinam, ut liquefiant, injicies, & ad alteram humidi partem concoques: coctis refrigeratiſque, theriacam & mitridatium immiſcebis, perpetuo ſpatula movendo: paulopoſt tenuiſſimum pulverem ſulphuris, denique argentum vivum (prius tamen à ſordibus

 defæ-

defæcatum & tranſcolatum vide ſupra hac Sect. capit. 10. in mortario cum terebinthina extinctum & optime incorporatum cum aliis ſubiges & permiſcebis: hocque totum, ubi probe ſpatio unius diei agitatum fuerit, in pixide terrea ſervabis. Hyberno autem tempore conficiatur propter radices.

VIRES A QVIBVSDAM Medicis Probatæ.

Eaſdem enim facultates obtinet ut emplaſtrum de vigo cum mercurio ſupra ſcriptum.

CAPVT XXI.

Vnguentum Aregum Myrepſi ex Sect. 3. num. 48. Vſuale.

Textus Myrepſi verus.

a *Roſmarini ſummitates emergentes cum florum eruptione intellige.*
b *Per Sampſuchum, majoranam cape.*
c *Iridis Illiricæ radices re-*

a ℞. Roſmarini.
b Sampſuchi.
c Iridis.

centes

centes sume, si secundum Myrepsi intentionem parare velis, ita quoque radices jari in medio autumni collectas, si secundum mentem Præpositi: nam legit radicis jari.

d *Serpilli & ruthæ folia sume.*

e *Radicis malvæ agrestis loco, legit Præpositus radicis sciscidis (quod plures interpretātur cucumeris asinini) & per quartam, drach.* j. *Grana* xv. *intellige.*

f *Salviæ & Sabinæ folia accipe.*

g *Pulicariæ majoris & minoris, & radicis brioniæ, inter sabinam & laureolam Præpositus capit.*

h *Calaminthæ montanam sume.*

i *Foliorum sciscidis, inter calaminthem & mastichen Præpositus sumit.*

k *Thus masculum vel olibanum accipe.*

d Serpilli.

Ruthæ.

e Radicis malvæ agrestis. Singul. ℥ij. ʒij. & quartā partē.

Foliorum lauri.

f Salviæ.

Sabinæ. Singul. ℥ j. ß.

g Laureolæ. ℥ iiij. ß.

h Calaminthæ. ℥ iij.

i Mastiches.

k Thuris. Singul. ʒ iij.

Pyrethri.

l *Euphorbium mediæ ætatis accipe, quia scopus unguenti est calefacere.*
m *Per Exagia* iiij. *se. drach.* vj. *cape: quid autem sit exagium Græcum vide supra cap.* 14. *in hac sect.* 2.
n *Oleum moschatellinum videtur esse apud quosdam oleum muscellinum, quod plurimi interpretantur de been, quod ego non puto. Et per exagium.* j. *& sem. drach.* ij. *cape.*
o *Per oleum sanctæ Barbaræ, istud oleum quemadmodum Myrepsus descripsit accipe, si vice petrolei excipere vis.*
p *Oleum laurinum per expressionem intellige, non autem nostrum vulgare, quod conficitur ex axungiis porcinis, foliis, baccisque lauri simul tritis, & coctis, cujus olei per expressionem facti, meminit Dioscorides & Myrepsus, ut perfectior sit compositio & calidoris intentionis.*

l Euphorbii. Singul. ℥. ß.
Zinziberis.
Piperis communis.
Singul. *m* Exag. iiij. ß.
n Olei moschati. Exag. j. ß.
Petrolei aut pro eo *o* olei sanctæ. Barbare. ℥. ß.
Adipis ursini.
p. Olei laurini Singul. ℥. j. ß.

q *Bu-*

q *Butyri, an recens, an vetus ſit intelligendum, nemo explicat, ſi tamen permeandi & porros ſubeundi materiam requiras, item & digerendi pro ſcopo unguenti, videtur eligendum vetus, quemadmodum & Galenus oleum vetus ad eaſdem intentiones præferre ſolet.*

r *Oleum olivarum vetus accipe.*

ſ *Ceram naturaliter albam ponticam accipe, & per quartam partem, libræ, unc.* iij. *accipe.*

q Butyri. ℥.ij.

r Olei communis. ℔. ij. ß.

ſ Ceræ albæ puræ. ℔. ß. & quartã partẽ.

Herbæ una cũ radicibus projiciantur in vinũ die uno: altero vero die eximãtur, & in mortario probe tũdantur: dein in oleum injiciantur & illic diebus ſeptem permittantur. Poſtea probe decoquantur & colentur, rurſuſq; bulliant, atque

M 5 im-

imponantur butyrum, adipes, & cera, omnibusque liquatis injicito sanctæ Barbaræ oleũ, moschatum, & laurinũ: dein imponito Thus, zinziber, piper pyrethrum probe trita. Omniaq; simul bene in mortario subacta tollantur & in vase recondantur.

SCHOLIA.

Fictili tecto radices maluæ sylvestris & iridis per se minutim incisas, ac probe in mortario lapideo cum pistillo ligneo tusas impone: desuper separatim quæ sequuntur in idem mortarium velociter trita conjice, ut rutham, laureolam, sabinam, salviam, lauri, sampsychi, & calaminthæ folia, serpillũ, & summitates rosmarini: spatioque octo dierum una cum vini rubri ℔. viij. ad macerandum appone. Nonnulli tepidum aut calidum esse liquorem infusionis volunt: tamen melius vinum non incalescere igne ne acescat: nam per se ignem sine calore satis retinet, & exprimit, & fer-

fervorem excitat. Sequenti vero die ad mediæ partis consumptionem igne lento concoque, spatula aliquoties ducendo. Deinde oleum commune prædictum in decocto adjicies (alii oleum, butyrum, una cum adipe ursino, & vino, coquunt) rursusque omnia coques donec totum vinum evaporatum, & aqueus humor herbarum in vaporem resolutus fuerit, ut prius spatula inter coquendum movendo. Postea probe per saccum cannabinum torquendo calide exprimes. Expressioni vero butyrum, & ursinum adipem, ut liquentur, addes. His liquatis iterum igni lento expressionem mixtam cum butyro & adipe ursino appones, statimque ceram divisam ut liquefiat injicies: liquatam, ab igne depones: mox oleum laurinum, moschatum seu moschelinum, & petroleum commiscebis, celeriter subinde movendo, quousque omnia rite frigescant. Ubi omnia refrigerata fuerint, pulveres tenuissimos radicũ pirethri, zinziberis & piperis insperges, desuper thuris & mastiches pulverem separatim factum permiscebis: ultimo euphorbium, quam tenuissime pulverisatũ, addes. Totum subactum ad usum recondes. Maxime autem in hoc parando unguento notandum nullam descriptionem

nos debere accipere, præter istam, quæ à Myropso descripta est: nam is & primus illam descripsit, & dosis simplicium optimam habet proportionem, respectu aliorum qui hanc descripserunt. Præpositus quoque hanc describit, & radices jari, loco radicum iridis, radices scisridis & folia, loco radicum maluæ sylvestris, usurpat: bryoniam præterea & utramque pulicariam, ultra hanc Myrepsi, adjungit: atque ingredientium pondera ex dimidio contrahit: quorum fere nullum respondet ponderi à Myrepso descripto. Rursus simplicia Præpositus in oleo absque vino infundit, proclivi quidem lapsu, attamen non negligendo. Itaque id unguentum componentes falli nolumus.

VIRES DESIGNATÆ A Myrepso.

Ad omnem dolorem stomachi & ventris. ad uterina mulierum mala, distentiones, quartanas, comitiales, spinæ dolores, & renum valet. In quartana ante invasionem utiliter eo spina & scapulæ inunguntur.

CAPVT

CAPVT XXII.

Vnguentum de Tuthia, quod oculorum affectibus confert, authore incerto, mihi frequens & Vsuale.

Vera descriptio manu scripta.

a ♃. Pompholygis lotæ. ℥vj.

Stibii crudi usti & loti. ℨj.

Sacchari candi. ℨ. ß.

b Trochiscorum alb. ℨij.

Butyri recentis sine sale loti. ℥vj.

Misce fiat unguentum cũ lapide calaminari.

a *Per pompholygem, quintam speciem cadmiæ Dioscoridis (quæ cripintis dicitur) lotamqne intellige. Modum autẽ lavandi vide supra in ista sect. ca. 11. ubi agitur de plumbo, nam ut lavatur plumbum, sic cadmia & pompholix lavantur.*

b *Per Trochiscos albos, illos quos descripsit Rhasis accipe.*

SCHO-

SCHOLIA.

Confice sic: Sumito lib. ß. lapidis calaminaris, eamque in quatuor parteis divide, ita ut pars una non excedat aliam. *a* Prima autem pars igni incandescat: ignita in ℔ j. aquæ rosarum, in qua prius coxeris foliorum ruthæ nostræ hortensis ℥. ß. & foliorum fœniculi ℥ j. extinguatur. Tum illa prima lapidis pars abjiciatur. Deinde altera pars in eodem igne ardescat, & in prædicta aqua rosaea restingatur, & restincta dejiciatur. Rursus aliæ duæ partes, quæ restant ut prius singulatim incendantur, & in aqua supradicta extinguãtur & ejiciantur. Tunc aqua per lineum pannũm nitidum coletur: ac in ea demum aqua, butyrum pluribus ante vicibus aqua communi elotum, (aquam illam communem semper abjiciendo) longa agitatione penitus commisceatur: quod fiet, si aqua sensim butyro instilletur, non autem affatim affundatur: alioqui enim vix unquam coincorporantur: dein pompholigem & stibium

a *Ignem carbonum prius accensorum absque fumo antequam lapidem calaminarem recipiat accipe.*

ſtibium optime lævigata (ut in ſuperioribus emplaſtris & unguentis lævigationis modum docuimus) butyro, ita cum dicta aqua roſacea incorporato, inſpergas: deſuper ſaccharum candum rite pulveriſatum, & albos trochiſcos in pollinem redactos adjice. Omnia denique commixta ac ſubacta, ſcilicet in mortario plumbeo cum piſtillo ex eadem materia facto, ad uſum in pixide figulina vitreata ſervato. Adde ℥. j. ß. olei amygdalarum dulcium ſine igne & recens facti, pluribuſque vicibus cum æquis partibus aquæ roſaceæ & fœniculi loti ſemper inter lavandum abjiciendo aquam proquacumque vice.

Stibii crudi uſti & loti.]

a Stibium, ſtimmi, antimonium, unum & idem ſignificant. *b* Eſt autem ſtibium ſecundum Plinium lib. 33. capit. 6. lapis ſpumæ candidæ & nitentis, non tamen tranſlucentis. Braſſavolus vult eſſe plumbum: Alii lapidem plumbarium referre, magis tamen quam plumbum nitet, aut radiat, & magis friabile, manuſque tingens. Alii marcheſitam librariorum vel impreſſorum. Mathæus Sylvaticus lib. pan-

a *Stibii variæ appellationes.* b *Stibium propriè quid; Stibium quid; varia ſententia.*

pandectarum cap. 24. ait esse venam terræ similem plumbo. Serapius lib. aggregat. cap. aitruad. idem cum Sylvatico sentit. Alii metallum esse asserunt eo quod eliquatur ut alia metalla, & quia facile cum ipsis metallis commiscetur. Ex his variis sententiis, Plinii sententiam sequamur. Nam stibium est de genere fossilium quæ sapiunt naturam, & metalli & lapidis. Quatenus enim liquatur ut metalla, sapit naturam metallorum; quatenus autem friabile, est revera de genere lapidis & metalli. *a* Duo ejus genera reperiuntur: mas & fœmina. Mas horridior scabriorque, & minus ponderosus minusque radians: Fœmina contra nitet, friabilis, fissurisque non globis dehiscens. Quæ discrimina possunt optime demonstrari in fodinis Germaniæ ubi maxime abundat, ut à quodam amico Germano doctissimo accepi se utrumque fodisse. *b* Præstat autem stibium fœmineum, splendidissimum, nitidum, in confractu crustosum, terræ & calculorum expers. Raro hodie fossile in nostris officinis habetur: excoctum vero seu eliquatum habemus. Uritur & lavatur in hoc unguento ad sulphureas & acrres partes tollendas: vel propter acredinem à sulphure

a *Stibii duo genera.* b *Stibii optimi electio.*

phure contractam : ne oculis noceat: quæ ustio & lotio talis esse debet. *a* Quantitatem quam voles stibii accipito, & in pollinem tenuissimum reducito: deinde in fictile amplum non plumbatum, conjicito: tum demum carbonibus accensis ad calcinandum caute exponito, quoad corpuscula illa, quæ *b* emicant, splendorem suum amiserint, vaporque sulphuris omnis cessaverit, fœtorque obsoleverit, interdum tamen spatula ærea movendo. Stibium autem in calcem conversum subalbicantis cineris faciem contrahet. Tunc ℥.iiij. istius calcis in pollinem rediges & in vini albi veteris ℥ ij. in fictili cooperto trium horarum spatio macerabis: & infusione peracta vinum evaporabis paulatim super cineres calidos ad stibii siccationem, siccatum itidem in ℥ ij. lactis mulieris pariter macerabis, & lac super cineres calidos consumes. Consumpto lacte & stibio siccato, aliud lac affundes, & iterum stibium macerabis, eodē igne, ad lactis consumptionem, consumpto lacte desiccatum stibium novies vel decies in æquis partibus stillatitiæ aquæ rosarum & fœniculi,

a *Stibii ustio & lotio secundum hujus unguenti scopum.* b *Per caute intelligendum, ut ignis parvus & admodum exiguus sit cum calcinatur.*

culi, ſemper abjiciendo aquam & aliam ſtillatitiam innovando in mortario lapideo ablues. Atque hoc modo ſtibium uſtum & ablutum & ſiccatum reconde, tuteque ad oculorum affectus utere. Dioſcorides lib.5. capit.59. alium torrendi & exurendi modum docet. Plinius quoque loco ſupra citato aliam methodum torrendi exhibet: hos tu modos poteris diligenter obſervare ſi noſtra non ſufficiat præparatio.

Cæterum hujus unguenti nulla eſt authoritas, ſed experientia multa & bona.

VIRES A QVIBVSDAM *Medicis probatæ.*

Maxime ad oculorum affectiones & ad hebetudinem confert, fluxiones & inflammationes ſiſtit.

DE OLEIS.

SECTIO III.

QVandoquidem superiori sectione unguenta universa, quæ passim in officinis habentur in usu, qua fieri potuit diligentia & brevitate à nobis explicata sunt: nunc ordine ad oleorum conficiendorum methodum accedendum: quorum subjectum & materia eadem est cum materia unguentorum & emplastrorum, cũ ex quacunque re habeatur oleum, sive simplex, sive compositum. Simplex aliquando sponte, ut petroleum: aliquando per expressionem sine aliqua additione, ut ex simplicibus quæ succum

cum habent oleaginoſum, quemadmodum ex tritis olivis maturis, vel immaturis, quod maxime & proprie oleum à Sylvio appellatur: item ex nucibus, amigdalis, ſeminibus, & conſimilibus, ab eodem Sylvio oleum abuſive nuncupatur. Compoſitum vero aliquando per infuſionem in oleo communi, vel in alio, in ſole, vel igne lento coctum cum expreſſione fit: ut roſatum, violatum, chamæmelinum, anethinum & ſimilia. Aliquando per reſolutionem coctione & expreſſione, ſine ulla additione, ut oleum ovorum, de frumento. Aliquando per artem chymiſticam, hoc eſt, per aſcenſum, vel deſcenſum, ut oleum de cera, butyro, axungiis, lignis, ſeminibus, & conſimilibus. De quibus omnibus nobis eſt agendum, dempto oleo communi, ſeu maxime proprio, quod omnibus notum eſt. De aliis igitur quantum rei ſcopus & ratio exiget dicemus.

DE

DE OLEORVM GENERE secundo quod à Sylvio oleum abusive appellatur.

CAPVT I.

Oleum Amygdalarum dulcium à Mesue descriptum xij. *distinctione de oleis Vsuale.*

Verus Mesuæ textus.

℞. Ex amygdalis mundatis ab utroque cortice *a* quantitatem quam volueris.

Et tere contritione ultima, & fac *b* pastones ex eis, & dimitte in loco calido per spatium circiter horarum quinque, deinde iterum tere, & pone in *c* zaynario, & stringantur, & exprimãtur & emanabit oleum.

a *Per quantitatem quam volueris, intellige lib.* j. *vel* ij. *vel* iij. *ut res postulabit.*

b *Per Pastones, intelligit, ut habeant formam pastillorum.*

c *Per zaynarium, torcular intellige, vulgo,* (*presses.*)

d *Per*

Si autem in vase duplici circiter per horæ spatium coxeris, deinde expresseris in zaynario, emanabit abundantius. At si amygdalis tritis sacculos impleveris, & sub cinere calido, aut arena calida inter pannos sepelieris, & postea expresseris, abundabit oleum. Modus *d* operationis alius est. Malaxentur in *e* tina, sicut pasta malaxatur, & sit domus in qua malaxantur, calida, & fundatur desuper aquæ calidæ parum, & stet *f* pila declivis ubi emanat oleum: & dum sic expresseris abundabit. Zaynarii autem planta inferior sit habens concavitatem &

d *Per modum operationis, confectionẽ manuariam intellige.*

e *Per tinam, vasculum aliquod intellige.*

f *Per pilam intellige mortarium vel tale quid.*

g *Per*

g Per emunctorium, intellige epistomum vulgo (goullet.)

g emunctorium in parte decliviori, & in inferiori parte sit globus juxta formam capacitatis concavitatis, ut sigillet omni hora ambitu vacui. Hic ergo erit modus formæ ejus.

SCHOLIA.

Amygdalarum a dulcium, quæ recentes sint, amplæ, dulces, nec rancidæ, à cute membranosa expurgatarum lib. j. vel ij. vel iij. accipe: eas in mortario lapideo nitido, pistillo ligneo contritione ultima contunde (alii in mortario æreo illas cotundunt) deinde panno aspero cãnabino involue & in zaynari, id est, torculari ad exprimendum inter moras vel paulatim imponito: ne si subito & violẽter comprimas, oleum sit turbidum & fœculentum: hoc namque modo oleum pellucidum, admodumque dulce habebis: quo recenti & non antiquato ad internas & externas corporis partes

a *Amygdalarum dulcium electio.*

tes uti poteris quia vetuſtate ob aeris intemperiem incaleſcit.

Amygdalis Mundatis à utroque.]

a Purgantur amygdalæ, ut purius fiat oleum à cute mambranoſa ſic. Torreantur & deficcentur in amplo fictili, aut in ſartagine cum quadam quantitate ſurfuris mundi igne lento, manu verſando atque agitando, donec cortex ſcindatur & rumpatur calore: deinde cribrare oportet, ut à ſurfure purgentur: tum in ſacculo ex linteo novo & aſpero confricare, & confricando à cortice mundabuntur. Alii habent aquam puram frigidam in fictili mũdo, & in ea amygdalas dulces ſpatio ſex horarum ad macerandum imponunt, quas poſtea facile manu denudant: ubi denudatæ fuerint inter duo linteamina ſpatio trium aut quatuor horarum deficcari permittunt: poſtea oleum in modum prædictum conficiunt. Uterque modus optimus, ſed prior altero excellentior. Cæterum minime dubium eſſe debet, hoc genus olei in quotidiano uſu eſſe, necnon ab omnibus medicis quotidie præſcribi. Neceſſarium ergo erit amygdalas diligenter præparare, ne propriam & inſitam qualitatem deperdant: quæ (authoritate Meſuæ eadem diſtinct.

a *Amygdalarum purgatio ſeu decorticatio.*

ſtinct. Præpoſiti lib. 2. particula 13. Fuſchii lib. 2. ſect. 14. Matheoli lib. 1. cap. 33. in Dioſcoridem) poſſet facile immutari. Si igitur amygdalæ calefiant, in oleo extrahendo, vel in aqua calida, diſpoſitionē contrahet oleum, quæ levi momento, vel temporis ſucceſſu, calorem illi poſſit conciliare, aut ranciditatem; cum temperatum eſſe debeat: tantumque abeſt ut tum leniret, cum partes potius, quibus apponeretur, calefaceret. Quare (ſalvo meliori judicio) præſtantius & expeditius erit methodo, à nobis præſcripta, illas parare, deinde oleum conficere: quæ ratio facilis eſt & excellentior, quam quæ à Meſue & aliis deſcribitur: illaque adeo quotidie in officinis uſurpatur.

VIRES A MESVE DESCRIPTÆ.

Aſperitatem lenit gutturis, & pulmonis, & partium omnium exteriorum, & omnes durities, & ſiccitates membrorum, & juncturarum, & confert hecticis & impinguat, & augmentat ſperma. Et injectum confert ardori vulvæ & veſicæ.

Oleum de Amygdalis amaris eadem distinct. à Mesue scriptum Vsuale.

Verus Mesuæ textus.

Et modus compositionis ejus est, sicut diximus de oleo de amygdalis dulcibus.

SCHOLIA.

EOdem modo amygdalas amaras, quo usi sumus in dulcibus, depellabis, eademq; methodo post decorticationem earum oleum extrahes.

VIRES A MESVE DICTATÆ.

Est aperitivum oppilationum, carminativum ventositatum, & resolutivum, & confert dolori aurium & surditati, & sibilo. Lenit asperitates, & delet panum faciei, & confert doloribus nervorum, & duritiem eorum lenit.

CAPVT

CAPUT II.

Oleum de granis sesami ex Mesuæ xij. *di-stinct. de oleis Usuale.*

Verus Mesuæ textus.

a *Per modum compositionis, artem manuariam intellige.*

a Et modus compositionis ejus est, sicut olei de amygdalis, præterquam quod oportet ut grana sesami prius excorticentur.

b *Per modum operationis, decorticationẽ granorum sesami intellige.*

Granorum sesami excorticatio secundum Mesuem.

Et *b* modus operationis ejus est. Mundetur sesamus ab omnibus immunditiis: deinde roretur super ipsum aqua cũ sale pauco, & confricetur manibus, iternmque roretur, donec madefiat: postea expandatur ut exsiccetur: deinde assetur assatione modica, & po-

natur in sacculo panni asperi: & fricetur multum donec excorticetur; deinde mundetur à corticibus & molatur cum molis, & fiat c alrachine: & de cætero trahatur oleum sicut de amygdalis. Et quandoque trahitur oleum præter quod excorietur: & ejus operatio est, ut assetur primo sesamus, deinde molatur, & fiat alrachine, & extrahatur oleum sicut diximus.

c *Per alrachinam pastam vel pastillos intellige. Alii codices habent alrachinam.*

SCHOLIA.

IN mortario lapideo, pistillo ligneo, granorum sesami lib. ij. à cortice extraneo prius purgatas, & panno cannabino, & rudi, sine ulla calefactione, vel assatione, torculari exprime, usuique recens exponito.

Purgatur autem semen sesami hoc modo.

do. In a pelui, aqua frigida & nitida, sesamum macerabis ad mollitiem & humectationem corticis: deinde aquam projicies,& semen panno, aut sacculo ex cannabe rudi,aspero, & denso(ne semen egrediatur) agitabis & contrectabis, donec cortex à pulpa separetur: deinde aquæ frigidissimæ & nitidæ quantitatem accipies, ad seminis proportionem, ut pro lib. ij: seminis lib. vj. aquæ sumes, & semen sic confricatum, in eam aquam,una cum cortice projicies, simul miscendo, ac spatula lignea aliquoties tractando: deinde aliquo temporis spatio quiescere permittes: tunc videbis seminis cortices supernatare, & pulpam in fundum descendere: quam pulpam diligenter colliges, prius tamen aqua cum corticibus abjecta, & inter linteola paulatim desiccabis in sole. Deniq; (ut superius dictũ fuit de amygd.) oleum conficies. Cæterum notandum erit, semen sesami, methodo superius scripta, mundari, vel decorticari posse,sine sale: tunc etiam ubi erit decorticatum, facile oleum extrahitur sine assatione, aut torrefactione, in quantitate sufficienti: videlicet pro duabus libris sesami decorticati ℥ vj. vel vij. olei extrahuntur.

a *Granorum sesami, vera excorticatio.*

Quare qui volunt hoc ſemen præparare ad oleum conficiendum, caveant ne Meſuen imitentur: nam oleum, quod ſecundum modum Meſuæ extrahetur, erit rufum, rancidum, aduſtionem rodolens, cum debeat eſſe dulce, candidum, nec poſſet ad quartam operationem olei roſati, quam Meſues deſcribit, pervenire.

VIRES A MESVE DESIGNATÆ.

Impinguat, & addit in ſpermate, & lenit durities & aſperitates, & clarificat vocem, & lenit guttur, & eſt materia aliorum oleorum multorum.

DE OLEORVM GENERE tertio, quæ à Sylvio compoſita nuncupantur, fiuntque per expreſſionem, ac infuſionem, facultatemque recipiunt variam ex incoctis variis ſimplicibus.

CAPVT III.

Oleum roſaceum completum Meſuæ, diſtinctione xij. *de oleis Vſuale.*

Meſuæ deſcriptio vera.

℞. Folia roſarum rubearum,

a *Per*

recentium, contusarũ,

a quantitatẽ sufficientem,

a *Per quantitatem sufficientem lib.* iiij. *intellige possumus tandem lib.*j. *vel* ij. *vel* iij. *accipere pro animi arbitrio.*

& sepelias in oleo quod modo lavisti, & reconde in vase vitreo, & obtura orificium ejus, & exponas soli per dies septem deinde coque in vase duplici per horas tres, deinde fac permutationem foliorum rosarum, & utere aliis recentibus, & dimitte per alios dies vij. Deinde exerce decoctionem in eo sicut fecisti prius & fac denuo permutationem foliorum rosarum, & projice super illud,

Aquæ infusionis rosarum quã tradidimus

in capite de syrupis, *b* sicut quantitas olei, & stringe orificium vasis, & dimitte in sole per dies xl. deinde excola & iterum expone soli, & dimitte *c* tempore extenso.

b *Sicut quantitas olei, intelligit Mesues tantundem aquæ infusionis rosarum, quantum olei ponendum, quantitas autem dicetur infra in methodo conficiendi.*

c *Per tempus extensum longum intellige.*

SCHOLIA.

Antequam ad methodum olei rosati deveniamus, notandum imprimis Mesuem certum olei ac rosarum pondus non definire, quatuorque hujus olei componendi formas descripsisse: quarum prima omnibus officinis usitata, à nobisque Pharmacopœis, oleum rosatum maturum & completum appellatur: cujus descriptionem, restitutam suis certis ponderibus, infra proxime produximus. Tres quæ super sunt, à Mesue descriptæ, minime in usum veniunt.

Vera.

Vera olei, ros. completi & maturi Mesuæ, usualis, descriptio, ponderibus certis definita.

a ℞. Olei olivarum veteris & maturi loti. ℔. x.

b Rosarum rubearum recentium completarum. ℔. iiij.

Confice sic. Rosæ in mortario lapideo, pistillo ligneo, contundātur optime: mox fictili, arcte obturato, soli diebus septē, ad infundendum, una cum oleo prius loto, pluribus loti onibus, cū aqua fontiū nitida ac depurata, exponito. Deinde in c vase duplici (vas ubi cō-

a *Alii oleum sesaminum, recens factum, loco communis, ponunt, & pro animi arbitrio quantitatem accipiunt.*

b *Rosas completas, eas intellige, quæ nodos suos explicarunt.*

c *Per vas duplex, intellige id genus vasis quod veteres Græci diploma dixere, quod ex duobus vasibus constituatur quorum unum ferventem aquam, alterum res coquendas contineat.*

tinetur infusio cooper-tum esse debet) ad humidi rosarum consumptionem coquito. Post coctionem torquendo exprimito: rosas expressas projicito: & tot novas ac recentes, modo prædicto tusas, in oleum colatum, eodem vase bene obturato, immitte, ac rursus per dies septẽ insolari permitte. Posthæc ut prius eodẽ vase duplici prædicto, ad humidi peremptionẽ coquito, deinde torquendo calide fortiter exprimito: rosas abjice, & alias totidem recentes tunde, & in oleum colatum impone una cum

Aquæ *d* infusionis ro-

d Per aquam infusionis rosarum, illam scilicet quam Mesues in dist. vj. descripsit, ubi agitur de syrupis, intellige: præterea tantum aquæ infusionis rosarum, ac olei jubet ponere: sed re vera quarta pars ipsius infusionis sufficit. Alii succum rosarum, loco aquæ infusionis accipiunt, quod maxime laudo. Alii nullam infusionem, neque ullum succum ponunt, quod mihi minus probatur. Videtur autem infusionis quantitas, à Mesue descripta, major esse quam decet: nam si tota quantitas apponeretur, vix calore

solis consumeretur: praeterea nimium coquendo, oleum incalesceret, aut alienum odorem acquireret.

sarum. ℔. ij. ß.

Eodemque vase quàm optime obturato soli ad macerandum, dierum quadraginta spatio expone: denique in diplomate, vel cineribus calidis coquantur, donec tota humiditas rosarum, vel succus deperdatur: demum torquendo velociter colentur: colatum tectum reconde.

Nicolaus Alexandrinus capit. 740. unum certis ponderibus definitum scribit, quod nos omphacinum viride, seu crudum, immaturum, acerbumque appellamus, officinisq; nostris frequens & usuale, cujus descriptio talis.

Olei rosarum incompleti & immaturi vera Alexandrini descriptio, eodem capite prius citato reperta: Visualis.

a *Oleum omotribeos, oleum crudum, ex immaturis drupis expressum, intellige.*
b *Rosas recentes exungulatas neque expansas author intelligit.*

a ℞. Olei omotribeos abluti · ℔. iij.

b Rosarum. ℔. j.

Rosæ exungulatæ, in mortario diutissime tritæ, cum oleo, in vase vitreo condantur & ad solem per octo dies exponantur: nono autem die colentur, & ejectis prioribus, totidem novellæ contritæ immittantur: iterumq; octo diebus vas in *c* apricum proponatur: circa nonum diem diligenter colentur, & eidem oleo aliæ ejusdem ponderis immittantur: & vas

c *In apricum, id est, ad solem.*

vas fortiter obturatum, diebus quadraginta soli exhibeatur. Transactis vero constitutis diebus in temperato loco usui reservetur.

SCHOLIA.

Fiat ea methodo qua usi sumus in rosato cōpleto. Legitur in antidotario, Nicolai Mesuę conjuncto, aliud quod nos oleum rosatum *a* simplex appellamus, quodque etiam hodie multum est in usu apud nos pharmacopœos, videlicet avaritiæ causa, propterea quod non tanti laboris & artificii est, nec tantorum sumptuum: unica enim infusione, & coctione perficitur: cujus descriptio vera talis est.

a. Simplex oleum dicitur illud, quod fit ex unica infusione & coctione rosarum: tamen Nicolaus, quale oleum, an maturum aut immaturum: pariter quas rosas, an expansas aut non expansas debeamus accipere non explicat: sed videtur secundum scopum olei ab ipso descriptum, immaturum oleum & rosas minime expansas accipiendas esse.

Olei:

Olei roſati ſimplicis deſcriptio, in antidotario Nicolai Meſuæ conjuncto reperta Vſualis.

a *Oleum olivarum immaturum accipe.*

b *Roſas quæ nondum ſunt expanſæ, exungulatas ſumito.*

♃. In duabus libris a olei communis, & ad noſtram doctrinã abluti ℔. j. & mediam b roſarum viridium aliquantulum contuſarũ.

Ponatur in olla, in caldario pleno aqua ſuſpenſo, & tamdiu bulliat quouſque ad tertiam partẽ veniat, quod demum albo panno lini immiſſum torculari exprimatur & liquor reſervetur.

SCHO-

SCHOLIA.

Perfecte & vehementissime rosæ exungulatæ, recentes tundantur in mortario lapideo cum pistillo ligneo: deinde cum oleo communi abluto, fictili bene obturato, in diplomate ad humidi consumptionem coquantur: re vera satius esset eas prius in dicto oleo infundi, spatioque quadraginta dierum soli exponi, antequam decoquantur. Post coctionem albo lini vel cannabino panno involuantur, & torculari exprimantur. Expressum optime tectum reservetur. Alii istud componunt cum oleo maturo, & rosis exungulatis maturis & expansis: & cum à medicis præscribitur oleum rosatum simpl. maturum, istud exhibetur.

Olei olivarum veteris maturi aut maturi loti.]

a Elige olei candidi, dulcis, perlucidi, odorati, modice calidi: aut immaturi, recentis, viridis, seu crudi, omphacini, & acerbi, quantitatem *b* sufficientem: in ampula

a *Olei olivarum maturi seu immaturi electio.*
b *Oleum commune olivarum maturum seu immaturum lavandi modus.*

pula vitrea forti, ac satis ampla in fundo & orificio superiori foramen habente, foramine utroque obturato aquæ fontis calidæ & olei semiplena, satis violenter agitata semi horæ spatio. Deinde quiescere permitte, unius horæ momento, donec videas oleum aquæ supernatare, & aquam in fundo ampullæ subsidere: quam hac methodo separabis, videlicet foramen inferius aperiendo, quo tanquam exiguo canali effluet: & ubi tota aqua effluxerit, diligenter foramen obtrudere oportet, ne oleum effluat. Deinde per superius orificium aquam calidam fontanam super oleum infundes, & obturato orificio agita & quiescere, ut antea, permitte: post, simili modo aquam ab oleo segrega: id semel atque iterum repetendo facita, sicq; oleum lotum habebis, ad oleum rosatum completum, incompletum, simplex, vel aliud oleum quod lotionem requirit. Eo quoq; pacto oleum & cera simul lavantur in ceratis, emplastris, & unguentis, quando usus postulat.

VIRES OLEI ROSATI COMpleti ex Mesue.

Est confortativum & resolutivum convenienter, lenitivum, & sedativum.

VIRES

VIRES OLEI ROSATI INCOMpleti ex Nicolao Alexandrino.

Virtutem habet frigidam & ſtipticam, & ideo ad dolores capitis ex febre, ſeu ex ardore ſolis, optimum eſt. Ardores autem & dolores, quos ventriculus, bilioſis humoribus plenus, ſua vẽtoſitate, in loco aut in parte capitis progignit, cum *a* aminei aceti quarta parte, capiti & fronti illitum, arcet. Tormina & dolores in ſtomacho, ſeu inteſtinis, ex acredine acerrimæ cholerae illatos cum maſtiches ℥.ij. & ſufficienti cera in ipſo ſolutis, locis inunctum ipſis, quamprimum emendat. Ad eryſipelata utile eſt, quibus in ſuperficie non apparent, & ad alia hujuſmodi multa.

VIRES OLEI ROSATI SIMPLICIS, ex antidotario Nicolai Meſuæ conjuncto.

Virtutem habet frigidam & ſtipticam: & ideo ad dolores capitis ex febre, ſeu ex calore ſolis, optimum eſt, ardores autẽ & calores quos ſtomachus plenus ſua ventoſitate in toto, ſeu in parte capitis progignit aufert, &c. Eaſdẽ enim vires obtinet, quẽadmo-

a *Per amineam uvam ruberrimam in vepribus naſcentem intellige.*

admodum incompletum ab Alexandrino descriptum. Igitur si easdem vires obtineat ut oleum incompletum, ab Alexandrino scriptum exungulatæ in hoc conficiendo esse debent rosæ: cum Nicolaus Mesuæ conjunctus nihil in suo antidotario determinarit. Cumque etiam Alexandrinus exungulatas quærat ad illud componendum.

CAPVT IV.

Oleum violatum Mesuæ distinctione de oleis Vsuale.

Vera Mesuæ descriptio.

a *Per operationem, manuariam confectionem intellige.*

Et modus *a* operationis est sicut olei rosati, excepto quod debet fieri cum oleo viridi, aut amygdalino, aut sesamino, cum illis modis operationum quos diximus.

SCHO-

SCHOLIA.

♃. Flores violarum martiales, quæcumque sunt ex primis, quas non deprehendit calor virtutem resolvens, aut pluvia dissipans, recentes, ℔.ij.

Olei immaturi seu omphacini olivarum loti. ℔. v.

Aquæ infusionis violarum recentium. ℔. j. ℥ iij.

Confice eo modo quo sumus usi in rosato.

VIRES EX MESVÆ desumptæ.

Oleum violatum inflammationes sedat, ubicumque sint, & lenit asperitates etiam pectoris, & pulmonis, & sedat apostemata calida, & pleuresin.

CVPVT

CAPVT V.

Oleum de Cotoneis Mesuæ xij. *distinctione de oleis Vsuale.*

Verus Mesuæ textus.

Accipe carnium cotoneorum tritorum,

Cum cortice suo, quibus medietas accidit maturationis.

Succi eorum. ana

a. Partes æquales.

Olei ex olivis incompletis, b quantum sufficit.

Et pone in vase vitreo per dies quindecim ad solem, deinde coque in vase duplici per horas quatuor: post illud fiat permutatio cotoneorum,

a *In hoc Partem sume pro lib.*j. *& lege ana lib. se. Alii nullum succum imponunt.*

b *Per quantum sufficit lib.* j. *&* *unc.* iij. *accipe.*

neorum, & ſucci eorum: fiat ſicut diximus bis, vel ter, deinde cola & reconde.

SCHOLIA.

Cotonea *a* poma, lanugine deterſa, rotunda & odorata, pœne immatura, aridiſque locis nata, ad hunc uſum, laudat *b* Plinius: quæ cum corticibus ad infuſionem, & ſuccum parandum, in ſcobem tenuem, cum lima lignea radere oportet: deinde in panno cannabino, rudi, celeriter torquẽdo, ut emanet ſuccus exprime. Expreſſum, & pariter ſcobẽm tenuem non expreſſam, quantitate idonea, una cum olei quantitate præſcripta, xv. dierum ſpatio ad macerandа, in fictili cooperto, ad ſolem expone. Macerata, in diplomate, ad ſucci, humidique conſumptionem, decoquãtur. Decoctione facta, torquendo colentur: & colaturæ ſuccus recens, ac recentia cotonea, ut prius præparata, dicto fictili cooperto immittantur, & rurſus totidem diebus inſolentur; & eodem igne ſupradicto ad

a *Cotoneorum pro ſcopo olei electio.* b *Succi cotoneorum extractio.*

ad humidi peremptionem coquantur. Post coctionem & colationẽ, alia cotonea, atque succus expressus, colaturæ injiciantur, & superiori doctrina insolentur & coquantur: Idem, si præstantius vis habere oleum, bis aut ter dicto modo repetes. Postremo colatum repones: eritque constans & certa ejus facultas.

VIRES A MESVE notatæ.

Stomachum & membra nutrientia confortat, & nervos quibus accidit laxitas, & prohibet multitudinem sudoris.

CAPVT VI.

Oleum Irinum Mesuæ xij. *distinct. de oleis Vsuale.*

Verus Mesuæ textus.

Accipe *a* radicum ejus quantitatem aliquam & florum ejus *b* duplum &

a *Per radicum ejus, ireos intellige, & per quantitatem aliquam lib.* j. *sume.*
b *Per duplum, lib.* ij. *cape.*

c *Per*

Aquæ decoctionis radicum ejus *c* quod sufficit.

c *Per quod sufficit, lib.* j. *sem. unc.* iiij. *sem. accipe.*

& infunde super ea,

Oleum sesaminum, aut de *d* olivis maturis, quãtum oportet.

d *Oleum olivarum lotum cape, & per quantum oportet lib.* vij. *se. accipe: alii lib.* v. *accipiunt.*

Et decoque in duplici vase: deinde permuta radices & folia *e* liliorum, & fac diximus ut de oleo rosato.

e *Per folia liliorum folia iridis purpureæ intellige.*

SCHOLIA.

RAdices recentes, tempore & loco collectas, minutissime incisas, ac velociter in lapideo mortario cũ pistillo tusas, una cum floribus recentibus mediocriter tusis, in oleo sesamino, fictili cooperto impone (aut oleum commune olivarum, dulce, insulsum ac maturum accipe) spatioque vij. dierum calide macerabis: deinde in diplomate ad humi-

humidi radicum & florum consumptionem coquantur: denique calide torquendo vehemenser exprimantur. Tunc tantumdem radicum & florum simili modo tusorum, in expressione colata, eodem vase obturato, immitte, ac rursus insolari per dies septem dimitte. Posthæc, ut prius, prædicto igne, ad humidi consumptionem percoquito, deinde extorquendo calide comprimito; radicesque, una cum floribus siccis, abjicito; & tantundem recentes contunde, & in oleum colatum impone, una cum aquæ decoctionis radicum quantitate, prædicta, eodemque fictili cooperto, soli, ad macerandũ, dierum septem spatio, expone. Peracta maceratione, igni levi, hoc est, in diplomate, vel cineribus calidis, percoque, ut tota radicum humiditas florum, & aqua decoctionis radicum, consumatur. Humiditate consumpta cannabino panno calide oleum transcoletur, colatum vero, optime coopertum, ad usum conservetur.

Cæterum, neminem latere debet, Alexandrinum cap. 718. hoc describere & pariter Myrepsum numer. 30. variantque ab isto. Dioscorides lib. 1. cap. 55. pretiosissimum habet, sed nobis factu ob ingredientium inopiam impossibile. Præterea nota-

notabimus ad decoctioné *a* prædictam faciendam radicum ireos ℥. xij. cum aquæ fontanæ ℔. iiij. ß. sufficere : totumque ad medias coquere licet, aut paulo plus. Atque hæc ideo monui, ut nihil tyrunculi temere agant.

VIRES A MESVE scripta.

Absterſivum, reſolutivum, & maturativum & ſedativum dolorum frigidorum, & ſubtiliativum, & maturativum materierum quæ ſunt in pectore & pulmone, & confert doloribus hepatis, & ſplenis, & calefacit ea. Et confert doloribus juncturarum : & lenit durities earum, & apoſtemata dura & ſcrophulas. Et confert dolori & frigiditati matricis juvamento manifeſto. Et confert ſpaſmo, & diſtillatur in aurem, & confert dolori, & fœtori narium.

a *Vera proportio aquæ, & radicum ad decoctionem prædictam faciendam.*

CAPUT II.

Oleum de absinthio authore incerto mihi Usuale.

℞. Olei olivarum maturi loti. ℔. ij. ß.

Cimarum *a* absinthii Pontici. ℔. j.

b Succi ejus. ℥ vij. ß.

Confice eadem methodo qua usi fuimus in oleo rosato completo.

VIRES A QUIBUSDAM Doctoribus dictatæ.

Frigida membra roborat, & calefacit, & præsertim ventriculum : appetentiam excitat, obstructiones aperit, & morbis omnibus obstructionum, à causa frigida occurrit: vermes interficit, ac educit, si unguentis vel emplastris apponatur.

CAPUT

a *Alii absinthii unc.* iiii. *sumunt.* b *Alii succi ejus unc.* iiij. *ponunt. sed melior dosis nostra.*

CAPUT VIII.

Oleum anethinum Mesuæ distinctione xij. *de Oleis Vsuale.*

Verus Mesuæ textus.

Modus *a* operationis ejus est sicut olei de chamæmælo.

SCHOLIA.

♃. Florum vel *b* summitatum anethi recentium. ℔. ij.

Olei olivarum completi & loti. ℔. v.

Aquæ decoctionis summitatum anethi. ℔. j. ℥ iij.

Confice veluti rosaceum completum, hoc est, pari methodo.

a *Per modum operationis manuariam confectionem intellige.* b *Summitates anethi uno die siccatas Paulus assumit.*

Ad decoctionem autem prædictam faciendam, apponendæ sunt florum anethi ℥ iiij. aquæ vero ℔. j. ß. fiat decoctio ad ℥ iij. consumptionem.

VIRES A MESVE PROBATÆ.

Oleum anethinum est sedativum dolorum, resolutivum, provocativum sudoris: quare confert rigori febris, injunctum in spina & membris nervosis: provocat somnum, & confert dolori capitis, & resolvit apostemata & durities.

CAPVT IX.

Oleum chamæmelinum Mesuæ xij. *distinctione de oleis Vsuale.*

Verus Mesuæ textus.

Et modus a operationis ejus est sicut olei rosati, præterquam quod oportet, ut fiat cum oleo de olivis completo, aut oleo sesamino, cum illis modis præparationum, quos diximus.

SCHO-

a *Per modum operationis manuariam intellige confectionem.*

SCHOLIA.

℞. a Florum recentium chamæmemeli. lib. iiij.

Olei olivarum completi loti. lib. x.

Aquæ decoctionis florum chamæmeli. lib. ij. ß.

Eo namque modo quo usi sumus in rosato completo istud conficias.

Decoctio autem florum chamæmeli sic parari debet, nempe cum ℥ viij. florum chamæmeli & aquæ lib. iij. ad lib. ß. absumptionem.

VIRES A MESVE probatæ.

Est resolutivum, sedativum doloris: & est in eo prohibitio cursuum materierum propter stipticitatem ejus modicam: & confortat nervos, & confert doloribus eorum & nervosorum omnium.

a *Flores chamæmeli absque albo per naturalem diem siccatos, Paulus sumit.*

CAPVT X.

Oleum de lilio simplex Mesuæ xij. *distinctione de oleis Vsuale.*

Verus textus Mesuæ.

Et modus compositionis ejus est, sicut olei Chamæmelini, præterquā quod oportet ut citrinitas eorum tota abjiciatur.

SCHOLIA.

℞. Florum liliorum alborum intermedio illo croceo dempto. lib. ij.

Olei olivarum completi loti. lib. v.

Aquæ decoctionis liliorum recentium. lib. j. ℥ iij.

Eo modo quo paravimus rosatum completum, istud conficiatur.

Paretur autem decoctum prædictum cum ℥ iiij. florum liliorum & lib. j.

& lib. j. ß. aquæ fontanæ claræ ad peremptionem ℥ iij.

VIRES A MESVE DICTATÆ.

Confert dolori pectoris, & est sedativum dolorum quæ fiunt à frigiditate: & confert dolori matricis & frigiditati ejus & calefacit renes & vesicam, & confert colicæ.

CAPVT XI.

Oleum de Cheiri Mesuæ xij. *distinctione de oleis; interdum Vsuale.*

Verus textus Mesuæ:

Et fit sicut oleum de chamæmælo.

SCHOLIA.

℞. Florum leucoii lutei. ℥ vj.

Olei olivarum completi loti. lib. j. ℥ iij.

Aquæ decoctionis florum cheiri. ℥ iij. ʒ vj.

Præpara ut oleum rosatum completum. Paretur autem aqua decoctionis cum ℥ ij. florum cheiri & aquæ ℥ vij. ad mediæ partis peremptionem, vel ad ℥ iij.

VIRES A MESVE DISTINCTÆ.

Est autem oleum de cheiri resolutivum, sedativum dolorum qui sunt in nervis & juncturis, pectore, renibus, & vesica.

CAPVT XXII.

Oleum mastichinum Mesuæ xij. *distinctione de oleis Vsuale.*

Textus Mesuæ verus.

Accipe olei *a* rosati. ʒ xij.

Mastiches. ℥ iij.

a *Oleum rosatum immaturum, Mesuæ descriptionis, accipe.*

b *Per*

b Pervinum bonum, rubeum & austerum intellige & unc. viij. *accipe, quamvis in alio satis sint unc.* iiij. *ad dissolutionem & ad decoctionem mastiches, tamen non sunt satis. Itaque mallem legere unc.* viij. *ut monet Mesues quam quatuor ne uratur oleum. Potest tamen mastiche dissolvi in oleo absque vino, si liceret ita parare.*
c Decoque sicut primum dixit Mesues, quia est secunda descriptio ab illo scripta, reperitur autem eadem distinctione alia descriptio minime usualis quæ prima dicitur.

b Vini boni. ℥ viij. in alio ℥ iiij.

c Decoque sicut primum ad vini consumptionem.

SCHOLIA.

IN vase æreo vel fictili mastichen electam crassiuscule pulverisatã, una cum oleo rosato, & vino rubro austero (propter astrictionem & confortationem) ad coquendum in diplomate pone, spatula movendo, donec vinum sit omnino consumptum: quo consumpto oleum transcoletur, & usui servetur. Notandum Præpositum 13. particula lib. 2. eas duas à Mesuæ descriptas secon-

ſere:alteram præterea Alexandrini ex cap. 35. deſumptam. Myrepſus duas etiam deſcriptiones aſſignat. Sect. 16.numer.38. & 39. omnes ab aliis invicem differentes, ſimplicibus & ponderibus, & maxime ab iſta, quæ in uſu quotidiano eſt ex Meſuæ deſcriptione.

VIRES A MESVE dictatæ.

Confortat ſtomachum, nervos, hepar & juncturas, & lenit apoſtemata dura, & ſedat dolores.

CAPVT XIII.

Oleum myrtiuum ſimplex Meſuæ xij. *diſtinctione de oleis Vſuale.*

Verus textus Meſuæ.

Et fit ſicut oleum de cotoneis.

SCHO-

SCHOLIA.

Mesues quomodo hoc oleum confici debeat non exprimit: idque non sine magna confusione. Nam plurimi sunt, qui pro arbitrio illud componunt (ignorantes certas simplicium doses à Mesue intellectas) aliquando ex foliis, aliquãdo ex baccis myrthi, olei omphacini, & vini odoriferi æquis partibus: quæ ad vini evaporationem coquunt: deinde colant & recondunt: aliquando ex baccarum myrthi lib. ß. vini odoriferi & olei omphacini ana ℔.j. ℥.ij. in modum prioris conficiunt. Myrepsus & Aëtius componunt ex myrthi foliorum viridium ℥.ij. Actuarius ex eorundem ℥.j. olei omphacini sextario Italico, & vini odoriferi astringentis, sextarii Italici quarta parte incoctorum. Matheolus Comment. in lib. j. Dioscorid. cap. 37. sic componit. Sumit fructuum myrthi ℔.j. foliorum ejus recentium ℥.x. vini nigri astringentis lib. ij. olei omphacini lib. v. Deinde contusas baccas ac folia oleo excipit ac vase vitreo vel stanneo re-

ponit, tectoque vasis ore, in balneo calentis aquæ immergit, & post tres dies extrahit, ac percolatam rursus infusionem ut prius repetit. Sed in summa ego Mesuæ ritum in usum revoco, quod sane maxime confert ad unguentum comitissæ Varignanæ, ut testatur luminare majus: sic inquiens: Olei myrtillorum descriptionem docet dominus Mesues in tractatu de oleis, &c. quod revera ad unguentum prædictum conficiendum, præparatum debemus tenere, & secundum istum modum, infra scriptum componere, quæ est vera Mesuæ descriptio, quæque similima est descriptioni olei de cotoneis.

℞. Olei ex olivis immaturis loti. lib. ij. ß.

a Myrthi extremitatum tenerrimarum. lib. j.

b Myrthi Baccarum expreß. ℥ vij. ß.

Con-

a *Pro myrthi extremitatibus tenerrimis, plurimi folia usurpant: alii baccas.* b *Per myrti baccarum expreßionem, succum intellige, aut ejus loco vinum rubrum austerum accipe, si deficiant myrthi baccæ.*

Confice sic. Baccarum myrthi recentium quantitas sufficiens ad succum parandum accipiatur. Deinde mortario lapideo maxime contundatur: postea in panno cannabino rudi ad extorquendum, ut succus emanet, apponatur: quem succum expressum in vase terreo, stricti orificii, tecto, una cum quantitate olei prædicta, & summitatibus *a* tenerrimis myrthi, videlicet baccis, velociter eodem mortario & pistillo contusis, ad infundendum spatio xv. dierum, sub dio, aut calide repones: exactis diebus infusionis, in duplici vase simul ad humidi peremptionem concoques: deinde per pannum supradictum celeriter calideque torquendo colabis: in colatura rursus tantundem succi myrthi, baccar. tusar. in vase prædicto cooperto, soli vel calide, spatio xv. dierum, ut infundantur repones: post infusionem eodem igne, modo prædicto, decoques, calideque percolabis: colatum recondes. Præstantius erit si adhuc semel renoventur baccæ, & succus, parique modo coquantur.

VIRES EX MESVE probatæ.

Stomachum & cor confortat & nervos.

Oleum

a *Succi è Baccis myrthi extractio.*

Oleum myrthinum compositum Alexandrini in libro de composit. med. secundum loca cap. 733. & Præpositi 14. particula lib. 2. interdum Usuale.

Alexandrini & Præpositi, veri textus, pars media.

a ℞. Olei. Sext. ij. ß.

b Vini. Sext. ß.

Myrthi tenerrimæ foliorum. lib. j.

Croci orientalis.

c Oenantes. ana ℥. v.

Masthiches. d ℥ iiij.

Conficitur sic. Folia myrthi tenerrimæ in pila sine intermissione tundantur, & in vino nocte ac die infun-

a *Oleum, olivarum immaturum lotum accipe: quia scopus est astringere, & per sextarios* ij. *semis olei, Romanos intellige, qui juxta sententiam Pauli & aliorum Græcorum un*, xlv *pendunt.*

b *Vinum, rubrum astringens & odoriferum, pro scopo olei: & per sextarium sem. unc.* x. *sume, secundum eundem Paulum: quomodo autem*

disse-

dantur : altero vero die oleo ſupermiſſo, ad lenes prunas; uſque ad vini conſumptionẽ coquantur, deinde fortiter colentur. Ad ultimum autẽ pulvis croci, œnãthes, maſtiches, acatiæ, inſpergãtur, iterumque lento igne tãdiu exagitãdo bulliant, donec optime commiſceantur, & recónditum uſui reſervetur.

differant ſextarius Romanus medicinalis olei, vini, aquæ, vel aceti, & mellis, lege in fin. iſtius capituli. c *Oenanthe, eſt labruſca vitis, cum floret, fructus Dioſcorides lib. 1. cap. 46. & lib. 5. cap. 11. Non autem œnanthe herba illa quam filipẽdulam nos vocamus, à Dioſcoride lib. 3. cap. 118. ſcripta. Præpoſitus loco œnanthes menthaam legit: mala eſt ejus lectio, quia mentha non debet accipi ſed potius œnanthe, ut monet Alexandrinus author compoſitionis.* d *Omiſit Alexandrinus ana & legendum maſtiches acatiæ ana drach.* iiij.

SCHOLIA.

IN mortario lapideo, piſtillo ligneo, folia myrthi recentia, & œnanthe ſeoiſim fortiter cotundantur, & in vaſe terreo, cooperto, una cum vino auſtero, calide ſpatio unius

unius diei infundantur. Altero vero die, oleo supermisso, in diplomate ad vini cõsumptionem coquantur: deinde velociter, calide extorquendo colentur. In parva autem parte colaturæ, videlicet ℥. j. eodem igne, spatula ducendo, mastichem dissolve, soluta, cum reliqua parte colaturæ commisceatur. Paulopost acatiam in partes divisam, ac cum pauco vino rubro astringente, igne levi, ad linimenti formam solutam, conjungo: ubi ea dissoluta fuerit, totum infrigidatum, spatula movendo croci pulverem tenuissimum commisce: denique omnia probe commixta in vase obturato usui reserventur. *a* Interea notandum erit, Alexandrinum & Præpositum in hac olei descriptione uti sextario. *b* Nam per sextarium, Romanum intelligere oportet & etiam in omnibus Græcorum compositionibus secundum Pauli & aliorum Græcorum mentem. *c* Preterea sextarium Romanum olei, differre à sextario Romano vini aquæ, vel aceti & mellis, maxime certum est. Nam sextarius olei ℥. xviij. pendet, vini, aquæ vel aceti, ℥. xx. mellis ℥. xxvij. Cæte-

a *Sextarius Romanus medicinalis olei quid.* b *Sextarius Romanus medicinalis vini vel aquæ quid.*
c *Sextarius Romanus medicinalis mellis quid.*

Cæterum in quibusdam Græcorum composit. Oleorum in sextario sentētiam Pauli sequimur, quia dosis vini & olei, videtur convenire simplicibus quæ olea ingrediuntur: quamquam sextarius aliud quid notet apud Arabes, ut infra cap. 17. docebimus.

VIRES AB ALEXANDRINO probata.

a Virtutem habet stipticam & xeranticam, & ideo putridos humores capitis & dolorem emendat, cum mastiches, boli, & farinæ volatilis ana ℨ. j. mixtum, & fronti impositum, superciliorum & oculorum dolorem arcet, & lippitudinem in eis ex rheumatismo fieri non permittit, cum camphoræ ℈ ij. trahacanth. ℈ j. mamillis inunctum, æstivos sudores male olentes dispellit, easque, decenter distētas, pristino decori reddit: diaphoreticos sudores & cœliacos fluxus super stomachum & totum ventrem inunctum, pulvere œnanthes & acatiæ super sparso, astringit.

CAPVT

a *Per xeranticam intellige exsiccantem.*

CAPUT XIV.

Oleum ruthaceum Mesuæ xij. *distinctione de oleis maxime Vsuale.*

Vera Mesuæ descriptio.

Et modus *a* operationis ejus est sicut olei myrtini.

SCHOLIA.

℞. Tenuiorum *b* ruthæ foliorum parum siccatorum propter succum excrementosum. lib. j.

Succi ejusdem. ℥vij. ß.

c Olei ex olivis completis loti. lib. ij. ß.

Pari methodo conficies, quemadmodum

a *Per modum operationis confectionem manuariam intellige.*

b *Rutham alii accipiunt recentem: alii siccatam, & id fit, secundum genera morborum.*

c *Oleum immaturarum olivarum capit Sylvius, sed videtur correctio ista Sylvii non recipienda quia cũ intentio & scopus olei sit penetrare & digerere, tenuitate substantiæ oleum maturum & potius vetus con-*

venit,

venit, quod habet vim digerendi & penetrandi.

paravimus oleum myrtinum simplex.

Maxime autem notandum, Mesuem hoc oleum parare sicut oleum myrtinum: nam oleum myrtinum fit sicut oleum de cotoneis: in oleo tamen cotoneorum, Mesues capit oleum immaturum seu omphacinum, quod maxime requiritur propter astrictionem. Sed hoc rutaceum, vim oppositam habet: nam aperit & calefacit. Quod vero à Mesue dicitur, & modus operationis ejus est sicut myrtini simplicis, de conficiendi modo intelligendum est, non autem de immaturi seu omphacini olei sumptione: quia est adversus olei ruthacei intentionem. Quocirca intelligamus, dum hoc parare volumus, oleum maturum & vetus seu completum accipiendum esse.

VIRES A MESVE PROBATÆ.

Renes & vesicam & matricem calefacit. & confert doloribus eorum & dolori laterum.

Oleum

Oleum ruthaceum seu Peganinum Alexandrini capit. 725. raro Vsuale.

Veri Alexandrini textus pars media.

♃. *a* Olei. lib.ij. ℥ xj.

b Ruthæ foliorum. lib.j.

c Sampsuchi.

d Cumini ana ℥ iij.

Herbas & cuminum, seorsim tusa, in oleo dies quinque macerata, in vase duplici coque, exprime & recon-de.

a *Oleum olivarum maturum accipe.*

b *Folia ruthæ inter duos pannos ab humiditate aliena & rore exsiccata, non à proprio humido, sume. Præpositus autem ultra lib.* j. *addit unc.* iiij.

c *Per sampsuchum, majoranam intellige.*

d *Per cuminum semen sume: habetque Præpositus ultra unc.* iij. *drach.* ij.

SCHO-

SCHOLIA.

Folia ruthæ & folia sampsuchi, recentia, seorsim, in mortario lapideo, pistillo ligneo tundantur, & in fictili cooperto, una cum cumino crassiuscule tuso, & oleo, calide, spatio quinque dierum ad macerandum conjiciantur. Sexto vero die in diplomate, ad humidi herbarum consumptionem, coquantur. Cocta panno cannabino velociter torculari exprimantur, expressio ad usum recondatur. Præstaret, si inter coquendũ adderetur lib. j. succi foliorum ruthæ, quod re vera addo: alii vinum. Mesues in xij. distinctione de oleis unum describit, maxime ab isto diversum, & apud nos omnes usuale, simplexque appellatur: cujus compositio à nobis supra scripta fuit. Lumen apotecariorum aliud habet distinctione xj. de oleis, maxime ab isto Alexandrini varium. Attendat igitur Pharmacopœus, nullum aliud componere, præter istud supra à Mesue scriptum.

VIRES AB ALEXANDRINO denuntiatæ.

Singulariter prodest ad genuum & inguinum dolorem, & ad podagram. Conducit etiam ad capitis & præcordiorum dolorem, ex sicco & calido ortum. Falsum hoc tamen videtur, cum materalia olei sint calida: itaque videat lector an aliquod hic sit mendum.

CAPVT XV.

Oleum de majorana, seu de samsucho: Mesuæ, x i j. *distinctione de oleis, raro Vsuale.*

Verus textus Mesuæ,

Et fit sicut oleum de myrto.

SCHOLIA.

℞. Foliorum recentium tenuiorum majoranæ. ℔. ß.

Succi ejusdem. ℥ iij. ʒ vj.

a Oleum

a *Oleum olivarum, incompletum aliquando accipimus, & id fit secundum intentiones medicorum, sed communis recepta legere debet completum, ne incerti hæreant pharmacopœi.*

a Olei olivarum completi & loti. ℔. j. ℥ iij.

Vt oleum myrtinum simplex, ter aut quater mutatis foliis tenerrimis, antequam succus addatur, conficito.

VIRES A MESVE descriptæ.

Confert dolori capitis & confortat & calefacit nervos; & confortat stomachum.

CAPVT XVI.

Oleum moschelinum Alexandrini in lib. de compositione medicamentorum secundum loca capit. 71. Vsuale.

Veri Alexandrini textus, pars media.

a *Oleum commune olivarum dulce in sulsum & ve-*

℞. a Olei pumici. ℔. iiij,

tus accipe: loco pumici.

b *Aquæ loco, plurimi vinum generosum assumunt: sed si vinum sumamus aromaticorum fiet penetratio, vel illorum vis coctione augebitur, itaq; diligenter observa utrum legendum sit cum authore, aquæ sextarium unũ, quod non puto. Per sextarium autem, romanum sume: qui, secundum mentem Pauli, ponderat unc.* XX. *taleque pondus hoc loco convenit.*

c *Costi, amari radices intellige, quia vero costo caremus. Galenus ammoniacum, vel helennii radicem supponi*

b Aquæ. Sext. j.

Folii.

Spicæ nardi.

c Costi.

Masticlies. ana ℥. j. ß.

d Styracis.

Croci.

Myrræ troglodyticæ.

Cassiæ.

e Xilocinnami. ana ʒ vj.

Cariophillorum.

Carpobalsami.

Bdellii. ana ℥ ß.

f Mosch. ℥ iij.

Nucis indicæ. num. ij.

Folium, crocum, myrrham, xilocassiam, carpobalsamum, bdellium, contusa, & in aqua biduo infusa, cũ oleo coque usque ad consumptionẽ, & post infrigidationem unius diei, gnaviter cola, deinde cariphyllorum, spicæ, costi, nucis, subtilissimum pulverem, decoctioni adde; & in parte olei, styracẽ, mastichen, moschũ, contusa, immitte: iterumque modicum bulli, & infrigidatum, diligenter reconde, usuique reserva.

poni jubet. Matheolus comment. capit. 15. *lib.* 1. *Diosc. & alii recentiores angelicam pro costo supponunt.*

d *Styracem, calamitam intellige.*

e *Xilocinnamo caremus, sed ejus loco cinnamonum nostrum usurpamus: Prepositus omisit ipsum.*

f *Moschi, memini me legisse apud quesdam antidotarios, & precipue apud Arnaldum de villa nova, moschi unc.* j. *sem. quod absurdum videtur, nisi forsitan quadruplicata est recepta.*

P SCHO-

SCHOLIA.

Cassia lignea, *a* xilocinnamum, carcarpobalsamum, folium, myrrha, bdellium seorsim crassiuscule trita, in aqua, una cum oleo, spatio duorum dierum in vase fictili obturato, calide macerentur: peracta maceratione igni levi, aut in diplomate, ad aquæ evaporationem coquantur: deinde quæ restant simplicia, dense, separatimque *b* trita, ut costus, caryophylli, spica incisa, & nuces indicæ rapa serratili contritæ, decoctioni prædictæ addantur, & ad ejus, que superest, aquæ consumptionem coquantur & parum infrigidentur. Deinde per pannum lineum fortiter torquendo colentur, in parte colaturæ, igne levi, aut vase duplici mastichen liquabis: qua liquata styracem & moschum, sejuncte, cum pauco vino modice calido dissolves & cum mastiche conjunges. *c* Desuper crocum pulverisatum, mox reliquum colaturæ pedetentim

a *Xilocinnamum in methodo conficiendi Alexandrinus omisit.* b *Melius si extraheretur oleum per expreßionem e nucibus Indicis: idque oleo confecto adderetur: salvo tamen meliori judicio.* c *Rectius esset crocum dissolvi cum suo dissolvente, quam pulverisari: nam dissolutum efficacius esset oleum.*

tentim versando his permiscebis, & ad usum servabis.

Cæterum notabis ad infusionem eorum quæ hoc oleum ingrediuntur, quæ omnia aromatica sunt, optimum & generosum vinum assumendum, loco aquæ, plurimos arbitrari: quamvis omnes qui hanc confectionem descripserũt, aquam assumunt: quod profecto (pace aliorum dixerim) nobis non probatur. Hoc enim oleum ad frigidos affectus componitur, quibus vinum maxime conducit, & calefacit, tum in aromatum coctione vim citius illorum attrahit quam aqua, ideoque ad oleum conficiendum, vinum excellentius & præstantius quam aqua. Tamen non est ea intentio authoris.

VIRES AB ALEXANDRINO notata.

Optimum ad omnem frigiditatem corporis, potissimum ventriculi, ad dolorem lateris foris inunctum, & intro cum zinziberis galangæ diagredii ʒ.j. a propinatum summe opitulatur. Stranguriosis, & concis, & ad omne nervorum vitium illitum optime facit. Miscetur medicaminibus, epithe-

a *Hæc videtur lectio Alexandrini non recipienda.*

epithematibus, & emplastris, quæ ad stomachi & renum affectiones ascifcuntur.

CAPVT XVII.

Oleum Nardinum simplex Mesuæ, xij. *distinct. de oleis Vsuale.*

Verus Mesuæ textus.

℞. *a* Spicæ aromaticæ. ℥ iij.

b Vini & aquæ. ana ℥ ij. ß.

c Olei sesamini. ℔. ß.

Decoquantur in vase duplici, lento igne, quasi per horas quatuor, & frequenter moveatur.

a *Per spicam aromaticam, nardum indicam intellige.*

b *Vinum, rubrum odoriferum, accipe.*

c *Loco olei sesamini, oleum amigd. dulcium, recens factum, usurpamus secundum Mesuē: nam sæpissime pro eo illud non raro substituit dum ait. Sesamini olei, vel dulcis, hoc est, amigdalini recenter & sine igne facti.*

SCHOLIA.

Spica quam minutissime incidatur, spatioque horarum quatuor, vase fictili cooperto, una cum oleo, vino, & aqua calida, maceretur. Alii spatio unius diei, spicam, vinum & aquam, absque oleo, macerant : quod fieri minime debet, quia infusio tepida & calida debet semper esse : igitur si tanto macerentur tempore, calide in vino & aqua, magna fiet consumptio, ita ut parum supersit ad decoquendum cum oleo : exhalabitque vis spicæ, si coquatur sine oleo. Macerata igitur, ut dixi, omnia simul ad consumptionem vini & aquæ vase duplici aut cineribus calidis, coquantur : deinde per pannum canabinũ extorquendo transcolentur : colata ad usum serva.

VIRES A MESVE DESCRIPTÆ.

Oleum nardinum, est oleum benedictum multorum juvamentorum, & proprie ad omnes ægritudines frigiditatis, & ventositatis, & proprie nervorum, stomachi, & hepatis, & splenis, renum, & vesicæ, & matricis : & confert dolori aurium vento-

so, & dolori capitis, & hemicraniæ, secundum omnem modum administrationis ejus: etiam facto ex eo caput-purgio, purgat caput, & colorem efficit bonum, & corporis odorem.

Oleum nardinum compositum Alexandrini in lib. de composit. medicamentorum secundum loca capit. 711. interdum Vsuale: quod ille, inventum fuisse à Vindiciano medico, profitetur.

Veri Alexandrini textus pars media.

a *Oleum Hispanicum, olivarum, maturum, ab Hispania allatum, intellige.*	℞. *a* Olei Hyspanici. ℔. ij. ℥ j. ß.
	Aspalti.
b *Semen nigellæ Romanæ, accipe: nam aromatica est, alia quasi venenum est, & caput tentat, quæ apud nos inter segetes deprehēditur.*	Myrrhæ.
	b Nigellæ viridis.
	c Spicæ. ana ℥ iij.
	Xylobalsami.
c *Spicam, indicam accipe.*	Caryophyllorum.

d *Ari-*

Cyperi.

Schœnanthos.

d Ariſtolochiæ.

e Inulæ campanæ.
ana ℥ j. ß.

Balſami.

Cinnamomi.

Calami aromatici.
Folii.

Carpobalſami.

f Caſſami.

g Cardamomi.
ana ℥ j.

h Nucis myriſticæ.

i Styracis.

d *Ariſtolochiæ, radices, longæ accipe.*

e *Inulæ, radices, accipe.*

f *Alexandrinus in margine iſtius compoſitionis ſic ait. Caſſamum legit Simon Ianuenſis: & Haliabas lib. 2. Caſſamum ponit pro ſeſeli: lib. vero 10 pro Keiſim quod plurimi interpretantur eſſe liguſticum: alii pro caſſamo, panis porcini radices hoc loco ſumunt.*

g *Cardamomum, majus accipe, non autem granum paradiſi ut multi faciunt.*

h *Nuces myriſticas, moſchatas intellige.*

i *Per ſtyracem, calamitã intellige.*

k Per coſtum, radices coſti amari accipe.
l Per caſſiam fiſtulam, intellige ligneam caſſiam veram, quæ eſt caſſia fiſtula græcorum: ſyrinx vocata.
m Per phu, radices valerianæ accipe.
n Radices aſari ſume.
o Per amaracum, intellige ſampſuchum: & puto potius legendum eſſe tamarici, quam amarici, ut Prepoſitus legit.
p Per faſcem Gallicum, ſpicam celticam intellige. Prepoſitus faſcis Gallici loco capit fraxinum.
q Per ſamum, ſamiam terram accipe, & loco ſami

k Coſti.
l Caſſiæ fiſtulæ.
Labdani.
m Phu.
n Aſari.
o Amaraci.
Maſtiches.
p Faſcis gallici.
q Sami.
r Myrti.
ſ Syriacæ. ana ℥ ij.

Confice ſic. Aſpaltum, myrrham inulam, phu, aſarum, carpobalſamum, myrtum, xilobalſamum, & ſampſuchum, particulatim tu-

Prepo-

Præpositus baccas juniperi capit.
r *Myrti folia accipe. Præpositus loco myrti sumit mentham.*
ſ *Per syriacam, intellige maluam. Luminare majus, pro syriaca, capit flores hyperici.*

ſa, & in aquæ ſextario uno, die ac nocte infuſa, oleo admiſce, & tamdiu coque, donec aqua conſumatur, non tamen uſquequaque, ne oleum exardeſcat: cumque refrigeratum fuerit, die eodem accuratiſſime cola, & ſpecies injice: deinde cyperum ſchœnanthum, ariſtolochiam, caſſamum, faſcem gallicum, cardamomum, folium, nigellam, calamum, caſſiam fiſtulam, ſamū, ſeorſim contuſa, & in vini ſemi ſextario, diebus tribus infuſa, ubi decoxeris, eodem modo effervefacito, oleoq; bene colato, ſpecies extermina: tertioque

die ſpicam, cariophillos, cinnamomum, nuces myriſticas, coſtum, trita in vini optimi ſemi hemina, per biduum infunde, t & ſuperiori documento ad vini conſumtionem coque, & non colatum ab igne depone, & in parte ipſius olei labdanum, maſtichem, ſtyracem, contuſa cum balſami medicamine, admiſce, & ad leves prunas aliquantulũ bulli, ſpatula aſſidue agitando: ab igne depoſitum, in ampulla, brevi foramine prædita conde, diligenterque obtura, ne ſuaviſſimus odor exſpiret.

t *Semi hemina nõ ſufficit ad ſpicam, carioph. cinnamomum, nuces myriſt. & coſtum infundendum: proinde licet heminam integram accipere, ut ſimplicia coctione vinumque poſſit centrum prædictorum penetrare.*

SCHO-

SCHOLIA.

Simplicia diligenter electa, crassiuscule in mortario pistillo ferreo, seorsim terantur, ut cyperus, cassamum, aristolochia, calamus, cassia lignea, schœnanthos, fascis *a* gallica, cardamomum, nigella, folium & samum: tusa in vini rubri odoriferi Sextario dimidio, una cum oleo spatio trium dierum super cineres calidos vase probe obtuso infundantur; secundo die infusionis adde desuper sequentia separatim denseque trita ut costum, spicam, cariophilla, cinnamomum, nuces myristicas, cum *b* Hemina una vini rubri odoriferi; quæ omnia rursus spatio duorum dierum, calide maceranda vasi cooperto imponantur: tertio vero die macerationis, quæ subsequuntur particulatim crasseque trita ut inulam, xilobalsamum, phu, asarum, asphaltum (satius & rectius esset si asphaltum cum pauco li-

P 6 quore

a *Per sextarium, à Saladino videlicet descriptum intellige · qua ponderat unc.* X X X. *taleque pondus maxime ad supradicta infundenda convenit.* b *Per heminam, illam videlicet descriptam à Saladino, quæ ponderat unc.* XV: *intellige, & quia etiam videtur pondus ipsius heminæ ad simplicia macerãda sufficere,*

quore non oleaginaſo infra ſcripto diſſolveretur) carpobalſamum, ſyriacam, myrtum, ſampſuchum, vel tamariſcum & mirrham (præſtantius eſſet mirrham diſſolvi in eodem liquore quo aſphaltus fuit diſſolutus, vel in pulverem redigi tenuiſſimum, & diſſolutam vel pulveriſatam cum oleo coćto ac colato, una cum ladano, ſtyrace, maſtiche, & balſamo admiſceri) calide vaſi ad infundendum, ſpatio unius diei in aquæ clariſſima Sextario uno conjiciantur : deinde finitis diebus macerationis, nempe quarto die, hoc modo coquantur. Superponatur capitellum vitreatum roſtratum cum ſuo recipiente, fićtili in quo ſimplicia ſunt macerata, luteturque diligentiſſime circumcirca, luto forti, ne ſpiritus in auras abeant, & in diplomate, vel in cineribus adaptetur, ſubterque ignis accenſorum carbonum conſtruatur, ut vapor fere totus aquei & vini humoris, fićtili impoſitus, in ſummitatem capitelli aſcendat, qui ſtatim in recipiens deſcendet & cum omnino deſcenderit (quod plane dignoſcetur quando vapores non amplius aſcendent in capitellum, nihilque in recipiens deſcendet : vel fere vinum & aqua, quæ author poſtulat miſceri oleo & ſimplicibus, tota in recipienti contineantur : quod fere

fere pondus trium librarum æquabit) tunc capitellum à fictili & à recipienti delutetur, & vapor totus in recipienti contentus, in fictile infundatur, & ut prius eadem methodo ad distillandum adaptetur (semper tamen fictile cum capitello, una cum recipienti lutando) hæcque distillatio pluribus vicibus repeti debet, semper aquam extractam in vas prædictum affundendo, & toties pari forma distillando, donec ℔. ß. aut ad summum ℥. ix. remaneant, ad aliqua scilicet, quæ cum oleo conservari debent, dissolvenda. Tunc fictile à diplomate vel à cineribus extrahatur, eo extracto oleum & simplicia in eo contenta, per pannum canabinum, non mediocriter rarum, velociter extorquẽdo, colentur: in parte autem olei colaturæ, dissolve, in vase duplici, ladanum, mox styracem & mastichen segregatim cum aqua extracta & conservata pariter dissolves: omnibus dissolutis & à diplomate depositis, residuũ colaturæ una cum balsamo, aut ejus succedaneo admisceatur. His itaque diligenter commixtis, vase stricti orificii cooperto, ne jucundissimus odor evanescat, condatur.

Alii alia utuntur methodo, videlicet simplicia primæ infusionis mediocriter trita,

trita, una cum olei & vini quantitate ab authore ſcripta tempore dicto calide infundunt: deinde in diplomate ad humidi peremptionem coquunt, humiditate perempta colant: colaturæ ſimplicia ſecundæ macerationis parum contrita una cum vini quantitate requiſita ut ſupra tempore deſignato macerant & ad humidum uſque decoquunt, conſumpto humido iterũ colant, & colaturæ ſimplicia ultimæ infuſionis craſſe tuſa, una cum aquæ quantitate deſcripta tempore determinato ſuperiori documento infundunt & ad humidi conſumptionũ coquunt, & rurſus percolãt. In parte autem colaturæ ladanum & maſtichen liquant, liquatis & ab igne depoſitis balſamum addunt, deſuper partem reliquam colaturæ ſpatula lignea movendo conjungunt: uterque modus optimus, ſed prior efficaſiſſimus quamvis in officinis raro uſitatus ſit. Cæterum in hoc notare debemus Alexandrinum & præpoſitum in methodo conficiendi ſyriacam omiſiſſe: rurſus Præpoſitum maxime in ſimplicibus variare, & à methodo Alexandrini. Quare ea quæ ſunt obſervanda in hoc conficiendo tyrunculus obſervet.

Et in aquæ ſextario uno.

Et in vini semisextario.

Trita vini optimi semihemina.]

a Sextarius æquivalet Heminis duabus: sed in his explicandis magna est controversia: propterea quod aliquando pondere definiuntur: aliquando mensura: pondere quidem ut cum pro varietate eorum quæ excipiuntur & continentur, quorum quædam graviora sunt, quædam leviora. *b* Nam hemina ponderat unc. ix. si de oleo agitur. Hemina aquæ vini & aceti unc. x. vel potius ut nos experti sumus excedit unc. xij. mellis ℔. j. vel potius ℔ j. semis, si libra medica usurpetur *c* quæ continet unc. xij. ut decet. Mensura autem definiuntur, ut cum Galeno explicanti andromachi oleum ricininum Cotilas sive Heminas unc. mensuralibus ix. constare probabile est, ut sex cotilæ sint unc. quatuor & quinquaginta, quod idem est cum libris mensuralibus Romanis quatuor & dimidia. Eadem ratio Sextarii quia est duplicata Heminæ, ut quod de uno horum dictum sit, de altero intelligatur. Si Hemina mensuralis acciperetur, non essent distinguendæ Hem. olei, aquæ, vini, & mellis, sed tantum ingeren-

a *Sextarii & Heminæ explicatio varia.* b *Hemina spectata pondere.* c *Hemina specta mensura.*

gerendum quantum capacitate vaſis contineretur, at plerique authores ponderant non contenti menſuralibus. *a* Tamen ut aperte intelligatur ſextarius vini, aquæ, aceti, olei & mellis, ſecundum Saladini mentem æqualis accipitur penditque unc. xxx. ubi pondus intelligit librarum duarum ſemis quodcumque ſit quod ponderetur: alii autem limatius iſta definiunt, ut res aliæ, aliis ſunt graviores aut leviores: ut Avicennas unc. xxiiij. aquæ, vini, & Saceti extario *b* contineri, olei vero unc. xij. videntur autem potius legendæ unc. xviij. quia ſatis conſtat ut ſæpe experti ſumus, pondus mellis, pondus olei ex dimidio exuperare, & aquam olei pondus ex tertia *c* parte excedere: atque oleum eſſe levius melle & aqua. Itaque valde obſervare oportet *d* quid ſolitus ſit author per Heminas intelligere, an ne ſcilicet pondus majus aut minus requirat, pro varietate eorum quæ in medicamentis deſiderantur: ut ſi olei Heminam nominet, an ne intelligat unc. ix. ſi vero aquæ, vini, vel aceti Heminam quia gravior eſt, an ne unc. xij. quod tamen plerique non diſtingunt,

a *Maxime uſitata Heminæ & ſextarii acceptio.*
b *Avicennæ opinio de pondere olei aquæ & mellis.*
c *Ejuſdem reſtitutus locus.* d *Concluſio diſputationis.*

gunt, quia habent rationem capacitatis. Dioscorides Galenus & Paulus sic Heminam in liquidorum ponderibus & mensuris definiunt. Hemina vini, aceti & aquæ, unc. x. pendet: olei unc. ix. mellis unc. xij. Paulus capit unc. xiij. semis. Sed communis sententia est, quæ prius descripta, ut Hemina significet unc. xv. id est, libram unam medicam, cum quarta parte. Sed hæc quæstio valde ardua, quæ instituitur de ponderibus & mensuris. Plura autem leges apud Agricolam, Paulum, Galenum & alios qui de hac re controversa scripserunt.

VIRES AB ALEXANDRINO probata.

Virtus ejus calefactoria & relaxatoria est. Inunctum cephalalgicis & hemicranicis prodest, doloré aurium, cum pipere trito, veteranum aufert, paralyticis & tremulis summum remedium est, arthriticis & podagricis inunctum, furiosos dolores mitigat: antidotis & electuariis, ad lapidem renum & vesicæ confectis admixtũ, non vulgariter opitulatur: matricis dolores, suffocationes, & tumores, pessariis adhibitum sedat. *a* Stranguriam & disuriam,

a Cathetera est instrumentum in quo imponuntur injectiones enematum: vulgo (Seringue)

furiam cum tertia parte succi ocymi per catheterem clysterizatum, absque moræ solvit, & ad multa alia facit.

CAPUT XVIII.

Oleum de castoreo simplex Præpositi, in xiij. *particula de oleis Usuale.*

Verus Præpositi textus.

Decoquatur ℥ j. castorei in ℔. j. *a* olei usque ad consumptionem tertiæ partis, & conservetur oleum cum pulvere castorei.

a *Oleum, olivarum maturum accipe.*

SCHOLIA.

Testium castorei Pontici à tunicis purgatorum *a* naturalibus, liquorem recenté, intus cerosum, odore gravi virus redolentem, gustu acri mordentem, accipito, & oleo communi dissolvito: dissolutum in diplomate

a *Castorei electio.*

mate cum ℥. ij. vini albi odoriferi ad vini consumptionem decoque, coctum usui servetur.

In hoc maxime notandum, Præpositum decoctionem castorei facere cum oleo, sine aliquo liquore, ad tertiæ partis olei consumptionem: quod re vera numquam fieri poterit hac methodo: nam si oleum infinitis diebus in igne remaneret, nec gutta quidem illius consumeretur, ut satis nobis operantibus notum est: sed potius adureretur, nec aliquam virtutem retineret. Quare, ut suppleatur quod ad hujus olei præparationem, consuevimus ℥. ij. vini albi addere oportet ut vinum quod subtile est, faciat liquorem castorei oleum penetrare coquendo. Præterea maxime cavendum, ne hoc oleum transcolemus immo castorem, cum oleo servari oportet etsi recens non sit.

VIRES A QVIBVSDAM Medicus præscripta.

Valet ad omnes nervorum & cerebri offensas frigidas, sanat rigores acerrimos, & frigora febrium sedat, si spinæ dorsi illitum apponatur.

Oleum

Oleum de Castoreo compositum ex luminari majori Sect. xj. tractatu de oleis magistralibus Vsuale.

Textus verus Luminaris.

℞. Castorei.

Styracis calamitæ.

Galbani. Euphorbii.

Cassiæ ligneæ.

Croci. Oppopanacis.

Carpobalsami.

Spicæ nardi.

Costi. *a* ana ʒ ij.

a *Alii ana, drach. iij. legunt, & melius.*

Cyperi. Schœnanrhi.

Piperis longi.

b Bratheos.

b *Brathin, Serapius in capite de junipero dicit esse sabinam.*

c *Le-*

c Legendum est ana drach. ij. *sem. ut multi alii codices legunt.*
d *Oleum olivarum, maturum accipe: alii loco lib.* iiij. *lib.* iij. *capiunt*
e *Legendum est vini albi unc* x ij. *quæ sufficiunt: ad omnia aromata co quenda cum oleo: vel ad summum lib.* j. *sem.*

Pyrethri.

Piperis nigri. *c* ana ℥ ij.

d Olei olivarum. ℔. iiij.

e Vini albi & boni. ℔. ij.

Bulliant omnia simul ad consumptionẽ vini deinde exprime & reservetur.

SCHOLIA.

CRassiuscule omnia simplicia electa (dempto galbano, oppopanace & euphorbio) ordine & per se terantur: videlicet, quæ teri debent, terantur: ut costum &c. quæ vero incidi, incidantur ut spica nardi, schœnantum, die uno in magna parte vini albi prædicti, una cum oleo super cineres calidos, vase bene oburato, macerentur. Secundo

cundo die in vase duplici ad vini evaporationem coquantur: postea exprimendo colentur: colaturæ galbanum oppopanacem, & euphorbium, in reliqua portione vini supradicti per se liquata, colata, & ad humidi consumptionem lento igne cocta, spatula movendo permisce, demum omnia probe commixta & conjuncta recondes.

Cæterum notabis, quod si recens sit castoreum, illius liquorem liquidum & serosum esse debere, quem cum gummi generibus dissolutis, colatis, & coctis paulatim admiscebis, ut facilius cum dicto oleo commisceri possit. Quod si castoreum sit siccum, contundes, & cum oleo cocto, & colato, recondes. Alii pulverem castorei prædictum, oleo cocto, in fundo vasis recondunt, una cum styrace pulverisato, ut vis castorei, & styracis, in oleo remaneat: quod maxime laudo.

VIRES EX LVMINARI majore desumpta.

Valet in omnibus ægritudinibus, & confert tremori, & tetano, & doloribus nervorum & juncturarum: & alii paralysi & spasmo mederi affirmant.

CAPVT

CAPUT XIX.

Oleum costinum Mesuæ in xij. *distinct. de oleis Usuale.*

Textus Mesuæ verus.

℞. *a* Costi amari. ℥ ij.

b Cassiæ. ℥ j.

Extremitatum samp-suci. ℥ viij.

Vini odoriferi *c* quantum sufficit ad infundendũ noctibus duabus.

d Olei sesami. ℔. iij.

Decoquantur sicut oleum nardinum hori. sex.

a *Radices costi, intellige, & quia vero costo caremus, Avicenna ponit medietatem radicis de pyretro. Syl. radices inulæ, aut galangam majorem sumendam esse docet.*
b *Per cassiam, ligneam author intelligit.*
c *Per quantum sufficit, unc.* IX. *vel ad summum unc.* xij.
d *Olei sesamini loco, si deficiat, dulce, hoc est, ex amigdalis dulcibus substituendum erit & legendum e. lib.* ij. *loco lib.* iij.

SCHO-

SCHOLIA.

Radix costi, & cassia lignea simul probe conquassentur & in vino odorifero una cum extremitatibus sampsuci viridis, crasse contusis, fictili novo, cooperto, spatio horarum quatuor, ad summum sex, ad infundendum, super cineres calidos imponantur. Alii spatio unius diei simplicia infundunt, una cum oleo sesamino aut ejus succedaneo: & in diplomate, omnia, ad humidi consumptionem, coquunt: ubi cocta fuerint, calide exprimendo, transcolant. Colatum vero oleum, ad usum reservant.

VIRES A MESVE DESCRIPTÆ.

Nervos & lacertos calefacit, & aperit oppilationes eorum, & confortat omnia membra nervosa, & confert stomacho, & hepati, & confortat capillos, & prohibet canitiem, & facit colorem, & odorem corporis bonum.

CAPUT XX.

Oleum de euphorbio Mesuæ xij. *distinct. de oleis Usuale.*

Textus verus Mesuæ.

℞. *a* Euphorbii. ℥ ß.
b Olei de cheiri. ℥ v.
Vini odoriferi *c* tantumdem.

Decoque usque ad vini consumptionem, & utere.

a *Euphorbium recens, si reperiatur accipe, si vero deficiat, vetus.*
b *Oleum de cheiri Mesuæ scilicet. Galenus olivarum & maturum capit.*
c *Per tantumdem, unc.* v. *intellige.*

SCHOLIA.

Recens euphorbium accipito: si autem recenti careamus, veteris dupla, vel tripla esse debet proportio. Illud in tenuissimum pulverem reducito: sed inter pulverisandum pauco vino aspergito, ne nares feriat. Pulverisatum una cum oleo, vinoque rubro,

lento igne, vase duplici, spatula movendo, ad consumptionem vini prædicti decoquito. Coctum nec colatum ad usum reconde.

Maxime hic notandum Galenum in fine lib. 2. pharm, pro vario scopo oleum de euphorbio parare. Sic enim inquit, si euphorbium invalidum sit, a vel si vetus est. ut bimum, & jam pallidum, aut flavum, ℥. vj. si sensus in auribus, vel parte alia est acerrimus, minus, semiunciam vel ʒ. iij. si obtusus, validi euphorbii ℥. ß. vel ʒ. v. præsertim si affectus est contumax, ut alopecia, licet apponere. Quocirca diligenter attendat Pharmacopœus electionem veram euphorbii, antequam istud oleum conficiat, ut possit hanc compositionem recte parare. Cæterum notabimus Galenum lib. 2. de composit. medicament. secundum loca, oleum commune maturum ad lib. j. capere in quantitate prædicta euphorbii, illudque minuere aut augere pro scopo vario.

VIRES A MESVE NOTATÆ.

Ad ægritudines nervorum, frigidas, & dolores eorum, & juncturarum, & dolores hepatis

a *Per invalidum recens & album intellige.*

hepatis & splenis valet: & fit caputpurgium ex eo ad sodam, hemicraniam & lethargiam.

CAPVT XXI.

Oleum de piperibus ex Mesuæ xij. *distinct. de oleis cum additione, raro Vsuale.*

Verus textus Mesuæ.

a Legendum trium piperum ana drac. iij.

b Ex his quatuor myrobalanorum generibus, cortices sumendi sunt.

℞. Trium piperum. *a* ana ℥ iij.

b Chebulorum.

Bellyricorum, & Emblicorum.

Indorum. ana ℥ v.

Radicum apii.

Fœniculi. ana ℥ iij. ß.

Sagapeni. Oppopanacis.

c Hyosciami albi. ana ʒ ij. ß.

d Turbith albi boni. ʒ xij.

Zinziberis. ʒ iij.

Caulisrecentis.

e Hasech humidi.

Foliorum ruthæ humidæ. *f* ana quantum de singulis manu capi potest.

Decoquantur omnia prima contritione earum cum

Aquæ. *g* ℔. xxiiij.

usque ad tertiam partem: deinde colentur & projiciantur super ea

c *Hyoschyami loco, legendum est ammoniaci secundum mentem & correctionem novam, Mesuæ. Tamen licet scopus hujus compositionis sit calefacere, attenuare, roborare nervos, nihilominus nisi ab autohre fide digno hæc correctio facta sit, non mihi videtur recipienda. Nam licet in hyosciamo sit vis frigida, nihilominus potest commisceri ad contemperationem calidorum.*

d *Turbith, legendum est drach.* ij. *loco drach.* xij.

e *Hasech humidi, thimi viridis summitates intellige.*

f *Per ana quan-*

tum

h Olei de cherva. Hem. ij.

& coquantur usque ad consumptionem aquæ: & sunt ex hominibus qui addunt in eo.

Ireos. ℥ vj.

i Tapsiæ. ℥ ij.

Anisi.

k Cordumeni. ana ʒ j. ß.

Calami aromatici. ʒ ij. ß.

Spicæ indæ. ʒ j.

l Expressionis alchasech. Sext. iij.

administretur ut oportet.

tum de singulis manu capi potest, intellige manipulum unum quod refero ad unc. j.

g *Legendum est aquæ lib.* xij. *loco lib.* xxiiij.

h *Oleum de cherva, oleum factum ex semine cataputiæ majoris accipe, & per Heminas* ij. *olei, à Saladino scriptas, intellige, quæ ponderant unc.* xxx. *vel lib.* ij. *se. medicas.*

i *Tapsiæ loco, legendũ est cassiæ ligneæ.*

k *Per cordumenum, semen carvi agreste, intellige.*

l *Per expressionem alchaseh succum vel decoctum thimi colatum, & per Sextaria* iij. *lib.* vij. *sem. medicas intellige: hic quarta pars Sextarii unius (quæ sunt unc.* vij. *semis) sufficit.*

SCHOLIA.

Radices recentes apii, fœniculi prius à corde interno purgatæ, incisæ, ac tritæ, quatuor genera myrobalanorum, turpetum, anisi semen, hyosciamus, cordumenum, caules recentes, rutha, thymum, seorsim crassiuscule trita, in aqua prædicta, spatio duorum dierum calide infundantur vase bene obturato, interdum spatula movendo. Tertio die spicam incisam, ireos radicem, calamum aromaticum, cassiam ligneam, zziber, species piperis, omnia particulatim obiter trita desuper injicies, spatioque unius diei macerari permittes: peracto infusionis & macerationis tempore, ad medias vel ad tertias, lento igne continua agitatione concoques (alii vase duplici coquunt) tum panno lineo rudi transcolabis fortiter exprimendo. Colatum una cum oleo de cherva, aut illius loco amigdalarum amararum, vel irino, & expressione thymi, ad humidi consumptionem, eodem igne semper agitando decoques: postea transcolabis, & refrigerari permittes: quo omnino refrigerato, gummi genera, ut sagapenum, ammoniacum (si liceat

ceat addi) oppopanacem, seorsim arte soluta (ut Sect. 1. & 2. satis copiose modum solvendi docuimus) & ad humidi non radicalis consumptionem cocta, paulatim spatula agitando, in oleo colato dissolves, & simul miscebis, atque usui servabis.

Alii hac sequenti methodo componunt. In aqua prædicta radices apii, fœniculi, incisas, quatuor genera myrobalanorum, turpetum, piperisque species, gummi genera, zziber separatim trita, caules recentes, rutham & thymum, in mortario lapideo, pistillo ligneo, tusa, igne lento, ad tertias concoquunt, spatula ducendo, deinde fortiter torquendo exprimunt. Expressum una cum oleo de cherva, aut ejus succedaneo, ad humidi peremptionē, simili igne, prædicto, spatula ducendo percoquunt, & sine aliorum additione ab aliis authoribus conjuncta, ad usum recondunt. Cæterum ut verum fatear, primus modus à nobis descriptus excellentior est, quam altera methodus. Volunt alii omnia ordine concoqui ad tertias, non distinguendo, an sint aliqua simplicia, quæ dissolvi debeant, & servari cum oleo, ut sunt gummi genera: id quod diligenter in nostra methodo nobis usitata observabimus. Deinde nemo miretur, si aquæ quantitatem præscriptam

ab authore non obſervem, cum loco xxiiij. aquæ librarum, duodecim tantum aſſumo, & loco ſextariorum trium expreſſionis thymi, quæ lib. vij. ß. valent, uncias ſeptem & ſemiſſem aſſumo. Hæc enim quantitas aquæ, & expreſſionis, idonea eſt ad omnia ſimplicia infundenda macerenda, & coquenda. a Nam omnia ſunt calida, ſicca, & tenuia. Quocirca verendum, ſi decoquantur in tanta aquæ quantitate ne ſubſtantia, ac illorum facultas evaneſcat. Nam ut docet Meſues, oportet ut gradatio ſit in decoctione, plus vel minus commenſurando calorem, & proportionando illum ſubſtantiis rerum debilibus, vel fortibus. Præterea omnia quorum virtus facile reſolvitur, aut quæ ſunt debilis texturæ, aut virtutem habent poſitam in ſuperficie, debili coctione egent. Ea ratione illa, quæ hoc oleum ingrediuntur, debilis texturæ ſunt, virtutemque habent in ſuperficie poſitam: ergo debili coctione egent. Quantitas igitur aquæ à Meſue præſcripta minuenda. Atque hæc ſunt in hoc oleo notanda. Adde etiam conſuetudinem, quam obſervavimus in proportione aquæ ad ſimplicia in decoctionibus: nempe ad unam partem ſimplicium, tres vel quatuor aquæ

a *Per tenuja, tenuis eſſentiæ, intelligatis.*

aquæ partes: quam proportionem in nostra methodo observavimus. Præterea id notare quoque convenit: si in omnibus compositionibus Arabum reperiatur Sextarius, Sextarium Italicum licet accipere, Rursus si hemina inveniatur, italica vel ægyptiaca sumenda erit.

VIRES A MESVE dictata.

Expertum ad ægritudines nervorum frigidas, sicut paralysim, spasmum, torturam, tremorem & mollificationem: & confert ad epilepsiam, & veram ischiaticam, & dolorem juncturarum, & dorsi, & colicam: & aperit oppilationes, & confert matrici juvamentum manifestum, & calefacit eam & confert humiditati ejus, & confert dolori ani á frigiditate, & dolori renum, & vesicæ, & frangit lapidem.

CAPUT XXII.

Oleum de mentha incerto authore, tamen mihi frequens & Usuale.

Vera descriptio manu scripta.

℞. Menthæ crispæ sativæ & viridis. ℔. ß.

a Valerius cordus id vult parari cũ oleo omphacino, eodẽ modo quo myrtinũ ſimplex, aut ruthaceum Meſuæ.

a Olei olivarum completi & loti.
℔. j. ℥iij.

Succi menthæ.
℥iij. ʒvj.

Conficiatur ut oleum de majorana, ter, aut quater mutatis foliis, antequam ſuccus addatur.

VIRES A DOCTORIBVS Medicis probatæ.

Optimum ventriculo eſt: nam ventriculum imbecillum ac frigidum calefacit ac roborat, nauſeæ ſuccurrit, & vomitum ſedat, concoctionem adjuvat, appetentiam inducit, durities, & abſceſſus, qui in ventriculo fiunt, ſolvit.

CAPUT XXIII.

Oleum lumbricorum terrestrium incerto authore frequens & Usuale.

Vera descriptio in quodam libro reperta.

℞. Vermium terræ, ℔. ij.

a Olei olivarum maturi & loti. ℔. iiij.

b Vini nigri & generosi. ℥. viij.

Bulliant omnia simul & fiat oleum, deinde percoletur.

a *Olei olivarum, multi pondus duplicant.*

b *Vini quantitas hæc, re vera non sufficit, si perfecte decoctionem vermium vis parare: & loco unc.* viij. *legendum lib.* j. *se. quia si coqueretur usque ad consumptionem tantæ quantitatis vini, ureretur oleum.*

SCHOLIA.

A Terra ſeparentur lumbrici & laventur diligenter in aqua fontana pluribus lotionibus, donec à terra ſint immunes; ſemper tamen aquam pro quacumque lotione innovando. Peracta lotione, in vaſe cooperto, una cum vini nigri generoſi lib.j.ß. & oleo prædicto, vaſe duplici, ad vini fere peremptionem, coquantur: dein per pannum rudem canabinum colentur: colatum ad uſus neceſſarios recondatur. Petrus Montagnana in antidotario ſuo capite 6. de oleis unum habet minime varium.

VIRES A MEDICIS PROBATÆ.

Nervos infrigidatos confortat, & utile eſt ad dolores juncturarum.

CAPUT XXIV.

Oleum de croco Meſuæ xij. *diſtinctione de oleis interdum Vſuale.*

Verus Meſuæ textus.

℞. Croci, ℥j.

a *Per*

Myrrhæ puræ. ℥ iiij.

a Cordumeni. ℥ ix.

Calami aromatici. ℥ viij.

Infundantur medicinæ in

b Aceto.

diebus quinque, præter cordumenum : die sexto projiciatur super ea cordumenum & dimittatur die uno, deinde fundatur super ea

c Olei. ℔. j. ß.

& coquatur lento igne usque ad aceti consumptionem : & sunt qui loco aceti, vinum ponunt.

a *Per cordumenũ, carui semen agreste, intellige. Sylvius loco cordumeni, cardamomum capit.*

b *Aceti quantitatem, Mesues non definit, & ponendæ sunt unc.* viij. *ad summum unc,* x.

c *Oleum lotum, immaturum olivarum, accipit Alexandrinus cap.* 732. *Alii maturum.*

SCHO-

SCHOLIA.

IN fictili cooperto calamum aromaticum crasse tusum, a crocum integrum, & myrrham confractam, una aceti ℥ viij. vel ℥ x. diebus quinque calide infundes; sexto die desuper cordumenum mediocriter tusum projicies, & adhuc spatio unius diei omnia macerari permittes: maceratis & infusis oleum olivarum immaturum lotumque affundes, & lento igne ad aceti consumptionem, spatula movendo, concoques: cocta per pannum rudem colabis: colatum reconde & utere.

Avicenna 5. canone Summa 1. tract. 10. unum describit. Alexandrinus cap. 732. alterum habet, qui minime cum Mesue convenit.

VIRES A MESVE probatæ.

Confert doloribus nervorum & confortat eos, & lenit duritiem eorum, & confert spasmo, & dolori matricis, & colorem efficit bonum.

CAPVT

a *Satius esset crocum dissolvi, cum suo dissolvente quam integrum ponere, ut major sit vis olei.*

CAPVT XXV.

Oleum de capparibus incerto authore Vsuale & frequens.

Verus textus in quodam libro repertus.

℞. Corticum radicum capparum. ℥ j.

Corticum tamarisci.

Seminis agni casti.

a Asplenii.

Cyperi. ana ℨ ij.

Ruthæ. ℨ j.

b Aceti.

Vini albi clari odori. ana ℥ ij.

c Olei maturi olivarum. ℔. j.

a *Asplenum, Scolopendriam intellige Dioscoridis, quã barbara voce ceterach vocant.*

b *Acetum album, vel rubrum, nihil interest quale hoc loco accipiatur.*

c *Oleum alii maturum vel immaturum accipiunt, dummodo sit tenue, participet ex utriusque excessu, nihil interest. Tamen hoc unum cõsiderare oportet, si velimus, lienem corroborare, immaturum accipe-*

re con-

re convenit, cum astringētia hic magis competant, si vero tumorem lienis scyrrhosum emollire contendamus, maturum esse debet. Hoc autem oleum præcipue ad lienis vitia accommodatur.

Coquantur in duplici vase ad aceti & vini consumptionem.

SCHOLIA.

RAdices cyperi minutissime incidantur, & in mortario æreo una cum corticibus capparum & tamarisci obiter tundantur: tusæ fictili novo cooperto injiciantur. Desuper semen agni casti contusum, folia ruthæ, tamarisci & scolopendriæ separatim in mortario lapideo contusa imponantur: mox acetum & vinum una cum oleo desuper affunde, & spatio xv. dierum insola, peracto die infusionis, in diplomate, vel in cineribus, ad vini & aceti consumptionem, concoque: statim cola, colatum usui reserva.

Animadvertite plures esse hujusce olei descriptiones apud Musam Brassavolum ab ista differentes. Nam aliæ recipiunt corticem radicis capparis, scolopendriam, tamariscum, absintium, oleum commune & ace-

& acetum. Aliæ radicem corticis capparis, ſcolopendriam, tamariſcum, iridis radicem, radices cyclaminis, galangam, oleum & acetum. Aliæ corticem radicis capparum, & iridis radices, agnum caſtum, tamariſcum, oleum, & vinum. Idcirco parva mihi videtur differentia, & video omnes pro animi arbitrio iſtud oleum parare. Tamen quamvis reperiantur multæ deſcriptiones diverſæ, iſta præſcripta mihi videtur uſitata & longa experientia celebrata.

VIRES A MEDICIS QVIBVSdam probatæ.

Confert duritiei, oppilationi, & dolori ſplenis ac omni ejus ægritudini.

Verus Meſuæ textus.

℞. *a* Scorpiones circiter xx. vel plus vel minus, ſecundum *b* quantitatem eorum, & pone in vaſe vitreo, & funde ſuper eos olei amig-

a *Scorpiones vivos & terreſtres accipe.*

b *Per quantitatem eorum, magnitudinem eorum intellige.*

c *In*

dalarum amarum.
℔. ij. &

ftringe caput vafis, & dimitte *c* in fole diebus xxx. deinde cola & utere.

c *In fole, fcilicet, vigente, diebus canicularibus.*

SCHOLIA.

TErreftres ac vivos fcorpiones fecundum eorum magnitudines, hoc eft, fi magni, craffi, & plurimum farcti fint, viginti: fi vero parvi, quadraginta quinque, vel, ad fummum l. accipe, & vafe vitreo, cooperto, ipfos una cum quantitate olei amigdalarum amararum prædicta, foli, diebus canicularibus, fpatio xxx.dierum ad macerandum appone. Melius fi antequam foli apponantur igne levi bullirent tribus vel iiij. ebullitionibus,quamvis non fit fcopus authoris fcorpiones decoqui, fed tantum macerari. Exactis diebus macerationis oleo minime colato reconde, & utere.

Oleum

Oleum de Scorpionibus compositum Mesuæ xij. *distinct. de oleis frequens & Usuale.*

Verus Mesuæ textus.

a *Aristolochiæ, radices recentes accipe.*	♃. *a* Aristolochiæ rotundæ.
b *Gentianæ, radices recentes intellige.*	*b* Gentianæ. Cyperi. Corticum radicis capparis. ana ℥.j. funde super ea
c *Oleum olivarum antiquum capit Manardus, & per Kist vinum olei, intellige lib.j. se.*	*c* Olei amigdalarum amarum. Kist. j. Et pone in sole xx. diebus deinde projice super ea ex
d *Scorpiones vivos, terrestres, magnos, crassos & plurimum farctos intellige.*	*d* Scorpionibus à x. usque ad xv. & iterum stringe orificium vasis & dimitte in

in ſole per dies xx. deinde coletur & reponatur.

SCHOLIA.

Radices cyperi, minutiſſime inciſæ, ariſtolochia, gentiana & cortices capparum ſeorſim in mortario obiter conquaſſentur, & una cum oleo amigdalino amaro, vaſe vitreo obturato reponantur, ſpatioque viginti dierum inſolentur. Peracta infuſione ſcorpiones vivi & ut ſupra diximus electi xv. num. deſuper projiciantur & iterum tantumdem inſolentur. Tempore macerationis peracto totum coletur, & recondatur. Cæterum libenti animo ad ſimplicia infundenda aliquid liquoris, huic oleo cõvenientis, concederem addere, penetrationis cauſa, niſi à Medicis doctiſſimis abſurdum, & præter artem videretur. Scio etenim oleum ſolum non poſſe virtutem craſſam harum prædictarũ rerum, quæ ſita eſt in centro, penetrare, abſque liquore: quamvis forſitan à Medicis dicentur ſimplicia omnia hãc cõpoſitionem ingredientia, ſatis ſubtilem & penetrantem habere ſubſtantiam. Quapropter conſulo omnibus

omnibus pharmacopœos qui hoc oleũ parare volunt, Medicos peritissimos qui confectionem manuariam, norunt consulere, an aliquid liquoris sit addendum ad harum dictatum rerum penetrationem. Sed si non ab eis cõcedatur, consulo, ut antequam secunda vice simplicia insolentur, bulliant duabus ebulitionibus: vel omnia recentia capiat, ut oleum virtutem prædictarum rerum acquirere possit. Animadvertite quoque plures reperiri descriptiones: unam apud Joannem Anglicum, in capite de lapide renum: aliam apud Rhasim in lib. divisionum capit. medicinarum urinæ: aliam apud Matheolum Senensem comment. in præfat. lib. 5. Dioscoridis, omnes minime usuales. Proinde necessarium est utrumque oleum à Mesue hic descriptum paratum habere: quia utrumque usui convenit.

VIRES PRÆDICTORVM OLEOrum à Mesue designata.

Lapidem in renibus & vesica fragit, & expellit eum, & proprie in renibus & fœmore, & supra collum vesicæ inunctum, & injectum per virgam, expellit enim eum.

Pri-

Primum, quod est simplex, plus attinet frigiditati ratione scorpionum, sed secundum, plus attinet caliditati, ratione aromatum, & utrumque est aperitivum, easdem facultates simillimas habens.

CAPVT XXVII.

Oleum Sambacinum authore incerto frequens & Vsuale.

Verus textus in quodam libro repertus.

Fit etiam oleum ex floribus Iasmini, quod Sambacinum Arabes vocant, chamæmelo aut cheirino viribus proximum.

SCHOLIA.

℞. Florum Jasmini seu sambuci. ℔. ß.

Olei olivarum completi loti. ℔. j. ℥. iij.

Aquæ

Aquæ infuſionis ſeu fervefactionis prædictorum florum. ℥ iij. ʒ vj.

Conficiatur ut roſatum completũ. Paretur autem infuſionis aqua, cum ℥ ij. florum jaſmini recentis & aquæ ʒ vij. ad mediæ partis conſumptionem vel ad ℥ iij.

VIRES AB IPSO AVTHORE incerto.

Chamæmelino aut cheirino viribus proximum.

CAPVT XXVIII.

Oleum hypericonis incerti authoris uſitatum.

Verus textus uſitatus.

♃. Summitatum ſeu comarum hyperici jamiam matureſcẽtis. ℔. j.

Olei olivarum completi antiqui & loti, ℔. ij. ß.

a *Me-*

Aquæ infusionis florũ prædictorum, aut ejus loco *a* succi eorum. ℥ vij. ß.

a Mesues tantũdem succi vel infusionis ut olei affundit.

Paretur ad normam rosati completi. Paretur autem aqua infusionis cum ℥ iij. florũ prædictorum & aquæ ℥ x. ß. fiatque decoctio ad ℥ iij. consumptionem.

VIRES A DOCTORIBVS probatæ.

Est resolutivum, sedativum dolorum qui fiunt in nervis, in juncturis, & pectore, renibus, & vesica.

CAPVT XXIX.

Oleum vulpinum Mesuæ xij. *distinct. de oleis Vsuale.*

Verus Mesuæ textus.

℞. Vulpem integram, cujus interiora sint evulsa.

a *Aqua marina loco, aquam salsam accipe, quid autem sit aqua salsa vide in fine istius cap. Et per kist unum ex Serap. lib. 7. in confect. electuarii de cytoniis authoritate Gal. si est Rom. est lib. j. sem. Ex doctrina Graecorum est Kadus: tamen parva dosis ad vulpem exenteratam coquendam videtur esse, nisi statim nova fiat aqua dulcis suffusio una cum aliis simplicibus. Quod ad me attinet soleo primo aquae fontium & marinae ana li. vj. apponere, deinde ut vulpes commixtis simplicibus coquatur,*

& pone in vase, & infunde super ipsam

Aquæ fontium &

a Aquæ marinæ. ana Kist. j.

b Olei antiqui clari. Kist. ij. ß.

Decoque igne lento cum

Salis. ℥ iij.

usq; ad aquæ consumptionem, deinde pone in vase, & projice super ipsam

Herbæ anethi &

c Halasech. ana ℔. j.

Et funde super ea

R ad

ad consumptionem & dissolutionem artuum super addo aqua dulcis lib. viij. *quamvis Mesues quantitatem non determinarit.* b *Per oleum antiquum, clarum, & salsum sume, & per kist* ij. *se. olei lib.* iij. *unc.* ix. *intellige quia omnes qui hoc oleum à Mesue transcripserũt in suis dispensariis Kist. ij. se. ita explicant, quæ explicatio videtur cõvenire cum ista à Saladino descripta.* c *Per halasech, summitates thymi intellige. Alii origanum explicant* Bertrutius *cap. de hyssopo Sect.* 2. *Tract.* 4. *capit. hyssopum. Alii Tribulum marinum.* d *Aquæ dulcis quantitatem author non specificat nec declarat: apponendæ sunt autem lib.* viij.

d Aquæ dulcis in qua coctæ fuerũt ex iisdem herbis. ana M. j.

Decoque sicut prius usq; ad aquæ consumptionem: & administretur.

SCHOLIA.

VUlpem integram mediæ ætatis, pinguem, venatu longaque insectatione defatigatam (quia tunc oleum fiet digerentius) recenterque occisam cujus interiora sint evulsa accipito, & minutissime conscindito,

to, ut ab ossibus medulla dissiliat: & in quantitate olei & salis communis prædicta, fictili novo & amplo ponito: desuper aquæ marinæ & fontanæ lib.xij. injicito. Melius si leviter vel ad medias in aqua decoctionis herbarum, fontana & marina absque oleo coquatur vulpes, ne oleum nimia coctione uratur, cum vis ipsius vulpis facilius eliciatur coctione aquarū quā oleorum. Coctæ ad medias, oleum addatur & ad reliquum humiditatis coquatur igne lento: consumpta fere aqua, alterius item aquæ dulcis, in qua anethi & thymi singulorum M.j. incocti fuerint, *a* circiter lib.viij. affundito, simulque cum lib.j. thymi summitatum & lib.j. summitatum anethi ad hujus aquæ peremptionem & artuum dissolutionem, vel ut ipsius pinguedo ac caro in jus colliquata abierint, & omnia sint liquefacta, præter ossa, recoquito: deinde velociter extorquendo calide exprimito: expressum ad usum recondito.

Aquæ fontium & aquæ marinæ.]

In hac urbe lutetiana non reperitur aqua marina, nec ad manum haberi potest, neque etiam in quibusdam locis. Igitur ii, qui prope mare non habitant, ejus

R 2

a *Anethi & thymi summitates accipes*

ejus loco muriam ſumunt. *a* Muriæ autem varia eſt acceptio & ſignificatio apud authores: accipitur enim alias pro liquamine piſcium conditorum, ut apud Simonem Januenſem, qui dicit ſalſum eſſe liquorem piſcium exenteratorum quo pro ſalſamento multi utuntur. Cui ſubſcribere videntur Dioſcorides lib. 2. cap. 31. & Conſtantinus lib. 2. capite ultimo: qui liquamen piſcium conditorum Garon vocant: quod pro muria nonnulli eſſe volunt. Alia vero ſpecies muriæ ab Arabibus deſcribitur, quæ liquor eſt reſudans ex farina hordei, dum pànis conficitur, ut teſtatur Azaranius, ſcribente Simone Januenſi. Præter hæc duo muriæ genera, alterum eſt, quod fit ex liquamine carnis ſale conditæ, & pro muria verius accipitur: quod nonnulli Pharmacopœi inepte pro aqua marina ſumendum putant: nam liquamen illud acre eſt, fœtidum & corruptibile, & ſi plurimum coquatur rubrificandi vim acquirit. *b* Igitur ejus loco aquam accipimus cum ſale ad ſpiſſitudinem muriæ coctam, quæ potius eligi debet, ut quæ aſtringens ſit pro ſcopo olei præſentis, cum

a De muria varia ſententia. b *Aqua marina, & muria loco quid.*

cum in muria aliter parata, ſit potius vis evocandi foras, quam aſtringendi.

VIRES A MESVE dictata.

Oleum vulpinum eſt medicamen nobile, ultimum ad arthriticam, & podagram & dolorem renum & dorſi.

CAPVT XXX.

Oleum nenupharinum Meſuæ xij. *diſtinctione de oleis Vſuale.*

Verus Meſuæ textus.

Et fit ſicut oleum violatum.

SCHOLIA.

℞. Florum nenupharis viridium, dempto intermedio illo croceo, & illo viridi folio ſuperiori & ſuperjecto, contuſorum. ℔. ij.

Aquæ decoctionis prædictorum florum. ℔. j. ℥ iij.

Olei olivarum immaturi loti. ℥ v.

Confice sic reponantur in vase terreo, bene cocto & facias prout de oleo rosato & violato tibi dictum fuit, & provideas de depositione ad solem, & de decoctione in vase duplici, & de permutatione florum, & de additione infusionis.

Decoctio autem florum nenupharis sic parari debet: nempe cum florum nenupharis ℥ iij. & aquæ fontanæ ℔. j. ß. ad ℥ iiij. absumptionem.

VIRES A MESVE dictatæ.

Oleum de nenuphare in virtutibus convenit quasi cum oleo de papavere: tamen non est tantæ stupefactionis, nec est somni provocativum, sed alterativum.

DE GENERE OLEORVM QVARTO.

Quæ fiunt tribus modis. Unum, ubi materia coctione in spiritus resolvitur & expri-

exprimitur, ut oleum ex vitellis ovorum. Aliud, ubi materia in ſpiritus pariter reſolvitur, & in recipiente condenſantur: ut oleum terebinthinæ, & multa alia oleorum genera. Tertium, cum calcinata materia & in modum ſalis reducta ſuper porphyrio aut marmore vel linteolo contēta, in loco frigido diſſolvitur: ut olea ex quibuſdam mineralibus calcinatis. Unde vulgare proverbium, habes ſal, ergo oleum. De quibus oleis & ſalibus chymiſticis plura dicerem, cum methodus illorum ſatis mihi nota ſit, ſi in uſu quotidiano eſſent: de his tamen alio brevi compendiolo ſpero me dicturum, ſi ſuperi in ſpatium temporis vitam producere concedant.

CAPUT XXXI.

Oleum de ovis Meſuæ xij. *diſtinctione de oleis, Uſuale.*

Vetus Meſuæ textus.

Accipe vitella ovorum *a* elixatorum circiter. xxx.

a *Elixatorum, hoc eſt, coctorum in aqua.*

Et comminue ea manibus, & pone in *b* sartagine lapidea & frige super ignẽ, movendo cum *c* ligneo aut ferreo cocleari, donec rubescant, & resolvatur ab eis oleum. Et tūc exprime ea cum cocleari, & manabit abundantius.

b *Per sartaginem lapideam, figulinam accipe.*
c *Lignea spatula magis præstatquam ferrea, propter nigredinem.*

SCHOLIA.

Ova recentia gallinacea accipiantur, quæ in aqua calida probe igni indurare facies, non autem in cineribus calidis (ut efficatius efficiatur oleum) illaque manu decorticabis, &album auferes, vitellosque illorum manu vel spatula lignea confricatos, sartagine figulina, flagrantissimo igni apposita, rursus spatula lignea (non autem ferrea propter nigredinem) assidue celeriterque undiquaque agitando, eousque dum assi vel

vel tosti sint, vel in chylum æquabilem pervenerint. Tunc subito & sine mora linteo rudi calido involue, & torculari immitte: quod statim expresseris oleum, flavum emanabit, quod repones ad usum. Hoc ita extractum, quia crassum & maxime terrestre est, potest subtilius fieri (nisi scopus authoris varietur) si cucurbita aut retorta, in quam oleum imponitur, bene cum recipiente lutata & obturata (ne spiritus in auras effluant) cum aqua vitæ & sale fusili (ad fæces retinendas) ita ut eadem aquæ & salis fusilis quantitas sit, in arena vas ad distillandum apponatur. Apposito vasi pro animi arbitrio ignem subdito, & continuato donec totũ oleum distillatum sit. Revera si spectemus scopum istius olei, rectificatio hæc minime fieri debet, sed potius absque rectificatione uti debemus.

VIRES A MESVE *probatæ.*

Cutim mundificat & impetiginem, & serpiginem, & alios morbos cutis curat: & facit nasci capillos, & confert fistulis & ulceribus malis.

CAPUT XXXII.

Oleum de terebinthina simplex ex thesauro Euonymi Vsuale.

Verus Euonymi textus.

Accipe terebinthinæ claræ *a* quantum videbitur.

b Cineris è ligno duro aut forti. ℥ iij.

Et in retorta fornaci accomoda, A principio fiat ignis lentus ad humiditatis dissolutionem postea augeatur ignis ad olei distillationem.

a *Per quantum videbitur intellige lib.* j. *vel sem. vel unc.* iij. *pro capacitate vasis.*

b *Cineris è ligno duro aut forti dixit, ne elevetur distillando terebinthina. Revera nihil cum terebinthina est addendum ut sum expertus, capitque unc.* iij. *prædicti cineris, videlicet, pro lib.* j. *terebinthinæ.*

SCHO-

SCHOLIA.

Oleum terebinthinæ fieri poteſt *a* arte chymiſtica, in cucurbita vitrea cum capitello roſtrato, vel in retorta: ita ut utrumvis vas terebinthina ſit ſemiplenum, abſque arena, aut cinere è ligno duro, & optime obturatum cum recipiente ampliſſimo ut ſpiritus libere ſpatiari poſſint (alioquin vas rumperetur) cucurbita vel retorta terebinthinam continens, vaſi arena pleno imponatur, & ſuper furnum quadratum adaptetur ut diſtilletur. Tum ignem mediocrem facito, & continuato donec ex lib.j. terebinthinæ ℥. iiij. olei clari ac albi habueris. Tunc ignem parum augebis, continuando quouſque tibi ſint ℥.ij. olei ſubrufi, aureique coloris, ac lucidi. Præterea rurſus ignem augebis, dum rurſus iterum ℥. ij. ß. olei rubri croceique coloris & clari effluant.

Hac enim methodo tria genera olei terebinthinæ arte & induſtria facta habebis: Tandem hoc unum operando erit notandum

R 6

a Per artem chymiſticam, diſtillatoriam vel diſtillandi intelligentiam chymiſtici diſtillatores dicuntur.

dum, ut pro quacunque ignis auctione recipiens permutetur ad olea diversa è terebinthina recipienda, quæ diligentissime in vitreis vasis obturatis servabis, & cum opus fuerit uteris.

VIRES EX EVONYMO.

Simplicia vulnera intra xxiiij. horas sanat: valet ad nervos contractos à frigiditate: Accipiendo ℥.j. cum vino urinam movet, & omnes dissolvit corporis nervositates. Punctiones lateris curat: mirabiliter febribus pestilentibus confert eodem pondere per os accipiendo & ungendo stomachi orificium digestionem movet.

HÆc sunt (candide Lector) quæ tribus hisce sectionibus tuum in usum comprehensa, crebro amicorum suasu & rogatu impulsi, in lucem tandem emisimus. Fructum vero laboris nostri ad eos uberrimum spero perventurum qui rei medicamentariæ serio addicti, præcepta & consilia nostra insequentur. Nos si quid ad publicam utilitatem contulerimus id singulare Dei Optimi maximi beneficium esse agnoscimus. Interim dum tu qualescumque has ingenii nostri primitias explorabis, nos ad alia studia, non minus his utilia, animum & calamum paramus. Vale.

FINIS.

INDEX

INDEX
MEDICAMENTORVM
COMPOSITORVM,

Quæ hoc libro describuntur, per Sectiones distinctus.

Sectionis primæ capita.

Emplast.

Sectionis secundæ capita.

Vng.

Sectionis tertiæ capita.

Oleum

INDEX RERVM,

Quæ hoc Opere continentur quæque notatu digna passim occurrunt.

A.

Brathin

B.

C.

Ceræ

Cinna-

Emun-

E.

F.

G.

Gypsi

H.

I.

K.

Lapis

L.

M.

P.

R.

S.

Sul-

T.

V.

X.

Y.

Z.

FINIS.

HISPALENSIVM PHARMACOPOLIORVM, RECOGNITIO.

A'

D. SIMONE E' TOVAR

Hispalensi Medico auspicata.



HAGÆ-COMITIS,

Ex Officina THEODORI MAIRE.

CIↃ IↃC XL.

LIBER PRIMVS

DE PONDERVM AB antiquis medicis ufitatorum reftitutione, ac eorum quibus Pharmacopolæ, ac præfertim Hifpani utuntur, emendatione.

Ad ftudiofum Lectorem.

PRÆFATIO.

Ex compluribus, qui nonnunquam fimul curandi occurrunt, affectibus, qui nam potiffimam ac primam curam operamque poftulet, artificiofa medendi methodus difpicere nos docet, fiquidē nullo præcipue urgente, nec caufæ rationem

habente, a *ab eo sine quo alii curari non poterunt incipiendã curationem monet. Multi autẽ sunt morbi quibus Pharmacopolia nostra laborare deprehendũtur: sed longe omnium gravissimus, veterrimus, & sine quo alii curari non possunt, est intolerabilis error circa pondera quibus nostri utuntur Pharmacopœi, ut itaq; tanto vitio subveniamus, de ipsis ponderibus sedulo ac serio agere, & quicquid circa ea nobis visum est adnotatione dignũ hic afferre opportunissimũ esse censebam. Id vero duobus cõplexi sumus capitibus, in*

a Ex Gal. lib. 3. Method. c. 9.

in primo de ponderum & mensurarum, ab antiquis medicis usitatorum, restitutione agimus, & quomodo antiquæ Romanorũ mẽsuræ, usui medico maxime deservientes, facile & ad amusim fabricari possint. In altero vero Hispanorum ac Romanorũ ponderũ differentiã docemus: Hispanorumque Pharmacopolarũ abusum & errorẽ in suis ponderibus, & quemadmodum ea emendari oporteat, ostendimus. Quod vero hic Mathematicis nonnullis demonstrationibus usus sim, licet illis exactissime ponderũ ac men-

ſurarum rationes exponantur & uſus aperiantur, vere quidem cum a *Galeno aſſeverare poſſim minime lubenter id feciſſe. Siquidem perinde ac ille timere debeam, ne medicorum pars multa ob ejuſmodi demõſtrationes noſtra ſcripta averſetur. Quippe cum æque ac ille ſuo ævo, in noſtra quoque ætate expertus ſim pauciſſimos ex medicis eſſe, qui alterius, quem in aliis à medicina diſciplinis verſatum eſſe cognoverint, conſuetudine delectentur.*

LIBER

a Lib. 10. de uſu part. cap. 14.

TABELLA PONDERIS OLEI, QVANTVM *singulæ antiquorum mensuræ continebant: tam juxta Romanorum, quam Hispanici marci ponderum rationem.*

Olei .n contentum in … pendet	Ex Romanis antiquis ponderibus.	Ex Hispanico marco.
Cochleari parvo, quorum 24 constituebant Cyathum,	Script. 1. gr. 9 $\frac{1}{3}$	Script. 1. gr. majo. 9
Cheme Fannii, quod est duplum Cochlearis,	Script. 2. gr. 18 $\frac{2}{3}$	Sbript. 2. gr. 18.
Mystro minori, à Romanis dicto ligula vel Cochleari, quod est triplum chemes aut sextuplum Cochlearis minoris,	Script. 8. gr. 8.	Script. 8. gr. 6.
Vncia Rmanorum mensurali, cujus proportio ad cyathum est subsesquibipartiens tertias,	Drachmas 6. script. 2.	Octavas. 6. cum $\frac{3}{5}$ unius octauæ.
Cyatho, qui est quadruplus Mystri minoris, & continebat unciam mensuralem unam cum duabus unius unciæ tertiis,	Vnicam unam, drach. 3. gr. 8.	Vnciam. 1. octa. 5.
Hemina Romanorum, quæ continebat decem uncias mensurales, & erat sexcupla cyathi,	Vncias. 8. drach. 2. script. 2.	Vnc. 8. drach. 2.
Libra mensurali, quæ duodecim unciis mensuralibus constat,	Vncias decem	Vnc. 9. drach. 7 $\frac{1}{5}$ vel uncias. 9 $\frac{9}{10}$ unius unciæ.
Sextario, qui est duplus heminæ seu duodecuplus cyathi, & viginti mensuralibus unciis constat,	Vnc. 16. drach. 5. script. 1.	Vnc. 16. drach. 4.
Congio, qui est sextuplus sextarii & decem libris mensuralibus constat,	Vncias. 100. seu lib. 8. unc. 4.	Vncias. 99.
Vrna, quæ est quadrupla congii, & quadraginta lib. mensuralibus constabat,	Vnc. 400. seu lib. 33. unc. 4.	Vncias. 396.
Amphora, quæ erat dupla urnæ, & octoginta lib. mensurales capiebat,	Vnc. 800. seu lib. 66. unc. 8.	Vncias. 792.

LIBER PRIMVS,

HISPALENSIVM PHARMACOPOLIORVM, RECOGOGNITIO.

CAPVT I.

Examen veræ atque exactæ proportionis ponderum Hispanicorum, ad pondera quibus olim Romani utebantur. Et modus quo antiquæ Romanorum mensuræ facile fabricari & instaurari possint.

AMPHORA apud Romanos tantundem *a* capiebat, quantum vas cubica figura factum, cujus capacitas in longum latum & altum pede Romano constaret: nimirum, vas

a *Amphora Romana.*



quoddam quadratũ ſex quadratis ſuperficiebus conſtans: quod ex quinque tabulis quadratis fieret, quarum ſingulæ in interiori ſuperficie unicum Romanum pedem quadratum æquarent. Cujuſmodi vas olim Romani ipſi quadrantal *a* appellabant, forma tantum ab amphora diverſum, quum alioqui utriuſque eadem eſſet capacitas. Veram autem pedis Romani longitudinẽ *b* poſteritatis memoriæ tradidit inſignis vir Ioannes Agricola in ſuo doctiſſimo, de ponderibus ac mēſuris, opere: quam adhuc extare aſſerit Romæ in hortis Angeli Colocii ac aliis in locis. Eſtque eadem quam alii etiam docti ac antiquitatum ſtudioſi viri in nonnullis Romanorum ædificiorum columnis repertam ſecum ſervant. Qualem nobis communicavit egregius, ac doctiſſimus Doctor Lucianus è Negron in alma hujus Hiſpalenſis civitatis eccleſia Canonicus. cujus nos dimidium hic ad marginem appinximus, octo inter ſectum diviſionibus, quibus digiti ipſius pedis Romani indicantur. Siquidem totus pes in ſexdecim digitos

a Quadrantal. b Pedis Romani longitudo.

tos distribuitur. Nos autem hujusce pedis *a* Romani longitudinis adminiculo, veram ponderum Romanorum, ad nostra pondera, rationem, in eum qui sequitur modum examinavimus. Cum amphora *b* seu quadrantal apud Romanos octo congios caperet: ex geometrica doctrina colligimus, dimidio pedis Romani in cubum reducto, fieri vas ejusdem cum congio *c* capacitatis. ut enim ex Euclidis doctrina constat: similia omnia solida parallelepipeda, inter se sunt in triplicata ratione homologorum laterum, unde cubi ad cubum proportio erit, sicut lateris unius ad latus alterius proportio triplicata. Triplicatam autem rationem seu *d* proportionem eam dicunt mathematici, quæ fit aliquo numero cubice in se ducto. Quoniam itaque ratio quadrantalis *e* ad congium, est, ut octo ad unum, ratio quidem lateris quadrantalis, ad latus congii, erit ut radix cubica octo, ad radicem cubicam unius: sed radix cubica octo est duo, & radix cubica unius est similiter unum. igitur ratio lateris quadrantalis, ad latus congii, erit, ut duo ad unum. Quocirca quum latus quadrantalis pede cõstet Romano, latus congii dimidio pede

 Roma-

a *Pedis Romani distributio.* b *Amphora Romana.* c *Congium.* d *Proportio triplicata.* e *Quadrantalis ad congium proportio.*

Romano constabit. quippequum ratio unius ad dimidium, sit veluti duorum ad unum. Atque juxta hanc rationem nos ipsum congium compingi curavimus, ex quinque ligneis tabulis ex actissime dolatis ac exquitissime compactis, quarũ singulæ in externa ipsius vasis superficie, dimidium pedem Romanum quadratum obtinerent. Hunc autem nobis ad amussim cõcinnavit Peregna frater ex societate Iesu, fabrilis antea artis adprime compos. Porro hoc ita paratum vas, oleo optimo primo implevimus: moxque sublato oleo, ipsum vas, cum ea tantum olei proportione quam tabellæ ipsæ combiberant, in altera, exquisitissimæ libræ lance, imponentes: in altera vero lance tantundem ponderis opponẽtes, quoad in æquilibrio utraque lanx permaneret, neutraque præponderaret: pondus ipsius vasis vacui percepimus. Quod Hispani usitato vocabulo taram, *a* sive ataram, dicunt. Deinde ipsum vas oleo rursus ex actissime plenum in altera libræ præfatæ lance imposuimus: in altera vero lance ipsius vasis vacui, taram servatam substituentes, tantum ei minutissimæ arenæ addidimus, quantum utriusq; lancis æqui librium exigere conspeximus. Quibus

a Tara sive Atara Hispanorum.

Quibus adamuſſim peractis, ſemoto ipſo olei pleno vaſe ab altera lance, ex altera vero ſimiliter ipſius vacui vaſis ſublata, quam diximus, tara: reliqua nobis dumtaxat fuit ea arenæ moles, quæ olei pondus quod ipſum vas continebat æquaret: nempe, olei pondus quod olim apud Romanos congium capiebat. *a* Quoniam vero congius apud Romanos duodecim heminas continebat: *b* hemina autem apud eoſdem (ut latiſſime oſtendit Agricola) ex decem unciis menſuralibus conſtabat, atque ita congius ipſe centum viginti uncias menſurales capiebat: conſequitur, arenæ, illa in lance relictæ molem, æquaturam id olei pondus, quod olim apud Romanos menſurabant centum viginti unciæ, ſeu libræ decem menſurales. Siquidem ſingulæ libræ tam menſurales *c* quam ponderales ex duodecim unciis apud Romanos conſtitere. Sed ex *d* Galeni obſervationibus habemus notam in oleo proportionem ponderis libræ menſuralis Romanorum *e*, ad eorundem libram ponderalem: nempe, ſeſquiquintam, qualis eſt duodecim ad decem, ſeu ſex ad quinque. Igitur

 arena

a *Congius Romanus.* b *Hemina Romana.* c *Libra menſuralis & ponderalis Romana.* d *Lib. de comp. medic. per gen. 5. c. 6. & lib. 6. c. 8.* e *In oleo proportio pōderis libræ mēſuralis Romanæ ad ponderalē.*

arena illa nobis in lance relicta pendet centum uncias libræ ponderalis Romanorum: videlicet, libras ponderales octo, & uncias quatuor, seu trientem. quippe centum viginti ad centum se habent in sesquiquinta proportione. Atqui antequam hanc arenæ molem nostris Hispanicis ponderibus examinaremus, eam in duas partes pondere æquali in ipsis libræ lancibus exactissime divisimus: ut in alterutra libræ lance, dimidia ejus arenæ moles relicta, quinquaginta Romanorum uncias ponderales penderet, & rursus abjecto altero ejus dimidio, dimidium reliquum iterum in alias duas ponderis æqualis portiones in ipsis libræ lancibus similiter partiti sumus. Atque ita nobis in alterutra libræ lance relicta fuit arenæ moles quæ ponderales Romanorum uncias vigintiquinque penderet. Exinde relicta in altera libræ lance hujusmodi arenæ mole, quæ vigintiquinque Romanorum uncias ponderales penderet: in altera lance tot uncias & unciæ partes ex *a* Hispanicis ponderibus, in nostro vulgariter dicto marco contentis, apposuimus, quot sat esse conspeximus ut utraque lanx ad æquilibrium redigeretur, neque una alteri præpenderet. Atque hoc pacto comperimus viginti quinque Roma-

a *Marcum Hispanicum.*

manorum ponderales unicas pendere ex noſtri Hiſpanici marci ponderibus uncias viginti quatuor cum ſex unicæ octavis. Quibus quadruplatis, fient unciæ nonaginta novem. Atque ita reperta fuit exquiſitiſſima ratio ponderum Romanorum, ad noſtra Hiſpanica pondera. Siquidẽ oleum quod olim apud Romanos pendebat centum uncias eorundem ponderales (quantum nimirum unus eorum congius contiebat) repertum eſt à nobis, ex præmiſſis obſervationibus, ponderare nonaginta novem uncias ex noſtro Hiſpanico marco. Atq; ita pondera noſtra *a* differre à ponde-

Aa 4 ribus

a Si verum eſt quod Andreas Lacuna aſſerit unciam unam Hiſpanicam continere Romanam noſtri temporis unciam unam & ſcriptulum unum: major ſane fuit olim Romana uncia, quam eſt hodie apud Romanos in uſu gran: duo de viginti cum duabus undecimis unius grani. unde ex arithmetica ratione conſtabit graviora fuiſſe olim apud Romanos pondera, quam nunc ſint, trigeſima prima fere parte. nempe uncia 31. Romanorum antiquæ penderent Romanorum noſtri temporis uncias 32. fere, vel præciſius 31. $\frac{141}{144}$ centum autem Romanorum antiquæ unicæ, penderent ex iis quibus Romani nunc utuntur, 103. $\frac{31}{198}$ quod vulgo dici ſolet, 3. $\frac{31}{198}$ por ciento. Nos tamen ejuſmodi Lacunæ obſervationibus parum quidẽ fidei adhibemus ob ejus arithmeticæ imperitiam. Quam ille ſatis aperte prodidit, cum inde Venetam unciam ſeſquidrachma minorem eſſe quam Romanam colligat, quod medicinalem libram Venetam pendere obſervaverit Romanæ libræ uncias decem, cum dimidia. Cum potius ex arithmetica ratione inde conſequatur unciã unã venetã drach. 7. Romanæ unciæ pẽdere.

ribus quibus olim Romani utebantur, centesima fere parte: quod Hispanorum vulgo dici solet, uno por ciento. Dicimus autem fere, quoniam re vera per centesimam partem differrent, si centum unciæ nostri Hispanici marci, ponderarent centum & unam unicas Romanorum ponderũ. Quoniam vero nonaginta novem unciæ nostri Hispanici marci, pendent centum uncias Romanorum ponderum: sane si exactam hujus proportionis præcisionem requiras, reperies se habere pondera nostra ad Romanorum pondera in ratione sesquinonagesima nona; hoc est, Romanorum pondera superari à nostris ponderibus per unã nonagesimam nonam partem ipsorũ Romanorum ponderum. Siquidem moles illa arenæ præfata, pendens uncias nostrates nonaginta novem, ponderabat ex Romanorum ponderibus uncias centum: nempe: totidem uncias Romanorum ponderales, & præterea unciam eorundem unã, quæ est nonagesima nona pars unciarum nonaginta novem. Atque hoc proportionis genus appellare solet Hispanorum vulgus, uno y un noventa y nueve avos por ciento, vel (quod idem est) $1\frac{1}{99}$ por 100. Hanc autem eandem rationem nos quoque examinare possemus, si arenæ molem,

quæ

quæ oleo in congio contento æqui ponderabat, ac proinde centum Romanorum uncias pendebat, citra illam arenæ in quatuor partes distributionem, cum nostris Hispanicis ponderibus per stateram ponderantes, ejus pondus in nostro Hispanico marco perciperemus. Quoniam vero exactiora & magis præcisa redduntur pōdera, quo minora sunt: iccirco integram illam centum ponderalium Romanorum unciarum molem cum nostris Hispanicis ponderibus conferre noluimus, sed potius quartam ejus partem.

Porro eadem mathematica doctrina, qua cōgium ex lateris ejus proportione ad amphoræ seu quadrantalis latus construere docuimus, nota similiter reddetur minima illa antiquorum mensura. quæ cochlear parvum *a* dicebatur. sit videlicet: Quum amphora *b* contineat octo congios, & congius *c* sextarios sex, sextarius *d* autem duodecim *e* cyathos, quorum singuli continebant viginti quatuor cochlearia parva, juxta ponderum distributionem à Fannio consideratam: manifestum est amphoram apud Romanos continuisse

Aa 5 ejusmo-

a *Cochlear parvum* b *Amphora.*
c *Congium.* d *Sextarius.*
e *Cyathus.*

ejuſmodi *a* cochlearia 1 3 8 2 4. Quumque eadem demonſtratione quam antea ex Euclidis elementis attulimus, ratio amphoræ ad cochlear ſit triplicata ſuorum laterum : proportio quidem lateris amphoræ ad latus cochlearis parvi, erit ut radicis cubicæ numeri 1 3 8 2 4. ad radicem cubicam unius. quippe quum amphora ſe habeat ad cochlear, ut numerus 1 3 8 2 4. ad unum. Sed radix cubica 1 3 8 2 4. eſt viginti quatuor, & radix cubica unius eſt unum. ergo latus amphoræ ad latus cochlearis ſe habebit ut vigintiquatuor ad unnm. Quo circa cochlearis latus erit vigeſima quarta pars lateris amphoræ. Similiter autem reperietur, latus cochlearis parvi eſſe duodecima pars dimetientis congii. Quoniam congius *b* continet in ſe cochlearia 1 7 2 8. cujus radix cubica eſt duodecim. *a* Si itaque aſſumatur vigeſimaquarta pars longitudinis pedis Romani (quanta eſt longitudo lateris amphoræ, vel (quod idem eſt) duodecima pars

a *Intelligimus hic cochlearia illa parva, quorum viginti quatuor conſtituunt juxta Fannii ſententiam cyathum. alioquin enim quarta cyathi pars (ut diligentiſsimus advertit Agricola) à Romanis dicebatur cochlear, & alio nomine ligula : quæ à Fannio ac aliis dicebatur Myſterium minus.* b *Congius quid cochlearia contineat.*

pars ejus dimidii (quanta est longitudo lateris congii) & in quadratum redigatur, atque, eo modo quo in congio tradidimus, vas quoddam cubicum construatur, cujus singulæ ex quinque internis superficiebus præfato quadrato omnino æquentur: prosiliet vas eandem obtinens mensurā quam olim apud Romanos habebat cochlear. Ex eadem quoque mathematica doctrina construi poterit vas aliud continens octo cochlearia, quod tertiam quidem cyathi partem continebit. si enim longitudo lateris cochlearis duplicetur: atq; hujusmodi dupla lateris cochlearis longitudo in quadratum reducatur: vas quidem cubicum, cujus quinque internæ superficies ei quadrato æquales fuerint, continebit octo cochlearia. Siquidem ejus ratio ad ipsum cochlear, erit ut cubus numeri duo (qui est octo) ad cubum unius, qui similiter est unum. Demum juxta eandem quoque doctrinam, ex congii lateris notitia construi poterit vas aliud sesquiheminam cōtinens: ex quo etiam tum hemina ipsa tum libra mensuralis Romanorum multo minori negotio construi posset, quam sine ejusmodi vase. Quum enim congius *a* contineat duodecim heminas, continebit quidem octo sesqui heminas. unde ratio

a *Congius.*

congii ad sesquiheminam, erit ut octo ad unum. Ac proinde ratio lateris congii ad latus sesquiheminæ, erit ut radicis cubicæ octo (quæ est duo) ad radicem cubicam unius, quæ est unum. Quacirca si dimidium dimetientis congii quadretur: & ex hujusmodi quadrato vas cubicum, eo modo quo in reliquis tradidimus, construatur: ejusmodi vas sesquihemiam æquabit. Quantum autem momenti sint omnia vasa à nobis juxta mathematicam doctrinam reperta, ut ex eorum minoribus reliqua etiam majora nota reddantur, facile quidem intelliget, quisquis ex amphoræ tantum per pedem Romanum repertæ, notitia, reliqua omnia minora vasa conficere studuerit. Ipsa enim experientia doctus apertissime comperiet difficillimum, ne impossibile dicam, fore, id ipsum assequi. Qui enim quæso liquor in amphora contentus in duas portiones, ea qua oportet præcisione, distribui poterit, ut juxta hujus dimidiati liquoris quantitatem urna conficiatur? Quod si hoc saltem summo assequatur labore, quali præcisione liquor in urna contentus in alias duas æquales partes dividetur, atque hujusmodi dimidium in alias rursus duas æquales partes diducetur, ut tandem congius evadat? Sed

Sed demus jam omnes has difficultates improbo cujuſpiam labore vinci poſſe, ac exquiſitum nobis proferri poſſe, conſice jam o bone, quiſquis is fueris, ſextarium ex ſexta congii portione: atque ex hujus duodecima diſtributione, cyathum: & demum cochlear parvum ex hujus vigeſima quarta portione. Nemo ſane cordatus ac non vanus homo, qui ſpecimen ejus rei tentaverit, ſe id perficere poſſe affirmare audebit. Quod ſi omnia ea, quæ nos conſtruere docuimus, menſuralia vaſa ſibi aliquis parata habeat, haud multo ille negocio reliqua quoque conficiet. Id vero nequaquam debita præciſione fieri poterit, ſi liquores in ſingulis compertis menſuralibus vaſis contentos, in aliquas, aliis menſuris correſpondentes portiones, dividantur. Quemadmodum alii omnes facere docent. Sed ſi minora ex majoribus quærere oporteat, in ſingulis compertorum menſuralium vaſorum, contenti unius alicujus liquoris pondus erit capiendum: atque ex ejus proportione ad pondus ipſius liquoris, quem proxime minora quantitate vaſa capere conveniat, eadem conſtrui poterunt. Ut ſi ex ſeſquihemina conſtruenda ſit hemina, vel libra menſuralis: implebitur ipſa ſeſquihemina liquore aliquo.

quo. Atque hujuſmodi liquor in ipſa ſeſquihemia contentus erit exacte ponderandus. ut ſi liquor is fuerit oleum, talis quidem liquor pendebit, juxta olei pondus à nobis in congio obſervatum, duodecim uncias cum tribus unius unciæ octavis. deinde duæ ejus ponderis tertiæ aſſumentur, quæ in propoſito olei exemplo erunt octo cum unius unciæ quarta: & tot uncias ex noſtris Hiſpanicis ponderibus ponderabit (ut ex ipſa arithmetica ratione conſtat) oleum quod capiet hemina. Unde ſi in vas aliquod figulinum, quod aliquantulum plus olei capere poſſit quam præfatum olei pondus unciarum octo cum unciæ quarta, iufundantur ipſæ olei unciæ octo cum quarta unciæ parte: & ex ejuſdem vaſis ore tantum auferatur ut exacte ipſas tantum octo olei uncias ac quartam unciæ contineat: tale quidem vas erit hemina *a* Romana. Quod ſi à præfatis duodecim unciis ac tribus unciæ octavis ſubtrahatur quinta pars, nempe, unciæ duæ cum $\frac{19}{40}$ unius unciæ, ſeu (quod idem eſt) uunciæ duæ & octavæ tres cum quatuor unius octavæ quintis: relinquentur unciæ novem, cum novem unciæ unius decimis, hoc eſt, unciæ decem minus decima unciæ parte, ſeu (quod idem eſt) unciæ novem,

a *Hemina Romana.*

octavæ

octavæ ſeptem, cum *a* una quinta octavæ parte. & tantum ex *b* arithmetica ratione ponderabit ex noſtris Hiſpanicis ponderibus oleum quod capiet libra menſuralis Romanorum. Quo circa ad tanti olei menſuram, redigi facile, eo quo in hemina tradidimus modo, poterit vas aliquod figulinum, ex alia ve ſimili materia, quod libræ Romanorum menſurali æquabitur. Hujuſmodi enim vas duodecim uncias cujuſlibet liquoris continebit earum quibus Romani liquores omnes menſurare ſolebant. Quod ſi liquor in hujuſmodi vaſe menſuratus eſſet oleum, ponderaret ex Galeni obſervatione uncias ponderales Romanorum decem: Quum tamen ex noſtris Hiſpanicis ponderibus penderet (ut jam advertimus) tantum uncias novē, octavas ſeptem, cum una quinta octavæ parte. Cujus differentiæ cauſa ea ipſa differentia eſt quam ſuperius inter Romana

a *Eſt autem quinta octava pars grana quindecim quorum ſeptuaginta quinque conſtituunt octavam.*

b *Cum enim hemina Romanorum contineret decem uncias menſurales, ſeſquihemina quidem conſtaret ex quindecim menſuralibus unciis, quarum quinta pars ſunt unciæ tres, unde ſublata quinta parte unciarum quindecim menſuralium, ab iiſdem quindecim unciis menſuralibus contentis in ſeſquihemina, relinquentur unciæ duodecim menſurales, nempe, libra Romanorum menſuralis.*

mana pondera ac nostra examinavimus. Quum enim ostensum sit Romanorum pondera à nostris superari ponderibus per nonagesimam nonam ipsorum Romanorum ponderum partem: seu, (quod idem est) per centesimam partem ponderum Hispanicorum : ex arithmetica ratione constat decem Romanorum uncias ponderales superari à nostris decem ponderalibus unciis per $\frac{10}{99}$ unciæ ipsius Romanæ, seu (quod idem est) per decimam partem unciæ unius Hispanicæ. Ac propterea oleum, vel aliud quodcunque, quod ex ponderibus Romanis ponderaret uncias decem, ponderare debere ex nostris Hispanicis ponderibus uncias novem cum novem decimis unciæ partibus. Porro comperta Romanorum libra mensurali, facillimo negocio eorundem uncia mensuralis fabricari poterit. Cum enim uncia sit duodecima pars libræ: & oleum quod capit libra mensuralis Romanorum pendat (ut ostensum est) ex nostri Hispanici marci ponderibus uncias novem, octavas septem, cum una quinta octavæ parte, & granis quindecim, quorum septuaginta quinque octavam complent: sane oleum quod capiet uncia, pendet ex nostris ponderibus, octavas sex cum tribus unius octa-

væ

væ quintis, videlicet, cum granis 45 ex iis quorum 75 constituunt octavam. tanta etenim est duodecima pars unciarum novem & octavarum, septem cum una quinta octavæ. Atque ita si ad tanti olei capacitatem concinnetur vas aliquod, tale quidem vas erit Romanorum uncia mensuralis. Similiter ex heminæ cognitione notus quoque reddetur cyathus. Quum enim cyathus sit sexta pars heminæ, & oleum quod capit hemina, repertum sit pendere ex nostris ponderibus uncias octo cum unciæ unius quarta: sane oleum quod capiet cyathus, pendet ex nostro marco unciam unam cum octavis tribus, quæ sunt sexta pars unciarum & drachmarum duarum. Unde si concinnetur vas aliquod, quod præcise contineat oleum pendens ex nostro Hispanico marco unciam unam cum tribus octavis, ejusmodi vas erit antiquorum cyathus. At enim ex minoribus vasis compertis, multo etiam facilius majora vasa confici poterunt. Ut si duplum liquoris quod Fannii capit cochlearium, in vas figulinum vel simile infundatur, facillime, ut in hemina tradidimus, fiet vas illud quod ab antiquis cheme dicebatur, juxta Fannii sententiam. Quanquam alii aliter ejus mensuram defini-

finirent : ſin ſextuplum cochlearis, fiet Myſtrum minus, à medicis magis uſurpatum : quod juxta Fannium, Nicandri interpretem, & Græcum auctorem de ponderibus & menſuris, erat cyathi pars quarta, à Romaniſque dicebatur ligula vel cochlear: licet alii paulo majorem menſuram huic minori myſtro adſcribebant. Quod ſi quadruplum aſſumatur ejuſmodi myſtri, vel triplum, ejus vaſis, quod in ſe octo cochlearia continet, à nobis antea mathematica doctrina reperti, cyathus ipſe exactiſſime confici eodem modo poterit, quo in præcedentibus vaſis docuimus. Atque ex cyatho ſimiliter reliqua majora vaſcula ad heminam uſque confici facillimo negotio poterunt. Porro non modo præfatæ illæ commoditates ſubſequuntur ex menſuralibus vaſis à nobis mathematica doctrina repertis, quibus reliqua omnia antiquorum vaſa exacte ac facile confici poſſent : Sed & in eorum ſingulis noſtra quoq; pondera cum antiquorum ponderibus, perinde ac in congio prius expoſuimus, examinari poterunt. Immo in ſeſquihemina quidem in reliquis inferioribus menſuris, facilius id commodiuſque fiet. In quibus nihil opus erit arenam cum oleo ad æquilibrium ponderare, nec ipſa

arenæ

arenæ pondera dimidiare, veluti in congio docuimus, ut ejus tandem pondus in minori quantitate majoris præcisionis gratia examinetur: quum harum mensurarum singularum pondera satis ad examē ipsum parva sint, ac præcisissime earum pondera capi possint. Quod ut manifestius reddatur, examē ipsum in sesquihemina faciemus. Quum itaque Romana hemina contineat uncias mensurales decem, sesquihemina continebit quindecim ex iisdem mēsuralibus unciis. Et quoniam ex Galeni observationibus oleum, quod capiebant duodecim unciæ mēsurales Romanorum, pendebat decem uncias eorundem ponderales: juxta eandem proportionem oleum quod capiet sesquihemina, quindecim mensuralibus unciis constans, pendebit duodecim uncias cum dimidia mensurales ipsorum Romanorum. Quo circa si sesquihemina, oleo optimo plena, in altera libræ lance imponatur, & in altera ejusdem libræ lance substituatur ipsius sesquiheminæ vacuæ tara, eodem modo sumpta quo antea congii vacui taram percipere docuimus: atque in eandem lancem in qua præfata tara fuerit constituta, tot ex nostro Hispanico marco unciæ unciarumq; partes impositæ fuerint, quot sat esse animadver-

adverterimus, ut ad æquilibrium utraque lanx reddatur: manifestum erit quod si unciæ illæ & earum partes, quas ex nostro Hispanico marco ponderabat oleum quod sesquihemina capiebat, fuerint duodecim cum dimidia, nostra quidem pondera à Romanis nihil omnino variabunt: sin in minori extitissent numero, majora: in majori vero, minora necessario forent. Re vera tamen juxta nostram observationem, reperientur unciæ duodecim cum tribus unciæ octavis, seu drachmis. Siquidem ratio unciarum duodecim cum dimidia, ad uncias duodecim cum tribus unciæ octavis, est susquinonagesima nona: qualem comperimus, in congii examine, esse rationem ponderum nostrorum ad Romanorum pondera. Denique compertis ac instauratis antiquis Romanorum mensuris, communis quidem liquidorum omnium mensura quali antiqui utebantur nostro ævo officinis desiderata, & à multis doctis medicis jamdiu expetita, in usum revocari à quolibet posset: ut liquores omnes unica mensura metirentur, veluti antiquitus fieri solebat: & non variis, pro vulgari Pharmacopœorum nostri temporis more, unicum in eis pondus constituentium, cui diversa in singulis mensura

ſura correſpondet. Quoniam vero *a* Galenus quoque antiquorum diligentiam in deſignandis libris ac unciis ponderalibus aut menſuralibus deſideravit, nec eam tamen ſupplere eſt auſus: licet enim aliquando expreſſerit libram & unciam ponderales vel menſurales, ſæpius tamen id prætermiſit: idcirco nos hic, Pharmacopœorum in hiſce liquorum menſuris uſum in univerſum damnare non audentes: eis tantum conſulimus, ut ubicunque in ſuis compoſitionibus liquores deprehenderint præſcriptos unciis aut libris menſuralibus, eoſdem menſuralibus iis unciis aut libris metiantur, quas hic conſtruere docuimus. Et ſimiliter quoque ſi liquores ipſi deſignati fuerint aliqua ex antiquorum menſuris, quibus illi eos metiri ſolebant (ut hemina, aut cyatho, & ſimilibus) eadem in illis menſura utantur, paratas omnes habentes, eo qui à nobis hic docetur modo. Atqui in eis compoſitionibus in quibus liquores libræ aut unciæ nomine tantum præſcripti fuerint, citra menſuralis aut ponderalis notationem, interim in eis, ponderalibus libris & unciis (ut hactenus ſolebant) utantur, dum ab aliis doctis viris aliter de hoc ſtatuendum fore decernatur. CA-

a *Lib.6.de compoſ.med.per gen. cap.8.*

CAPVT II.

De Hispanorum Ponderum differentia ad Romanorum pondera. Deque Hispanorum Pharmacopolarum abusu & errore in suis ponderibus. Et quomodo facile emendari illa possint.

EX iis quæ in præcedenti capite tradita sunt, facillimum quidem erit singulorum nostratium ponderum differentiam, à sibi collatis Romanis ponderibus animadvertere. Quum enim observatum à nobis sit, pondera nostra excedere Romanorum pondera per unam nonagesimam nonam partem: juxta hanc ipsam rationem ponderalis libra Romanorum, quæ unciis duodecim constabat, pendet ex nostri Hispanici marci ponderibus, uncias undecim cum viginti duabus partibus, quarum vigintiquinque constituunt unciam, quas arithmetici his notis designant, $\frac{22}{25}$. Et hæ unciæ partes, constituunt octavas unciæ septem cum vigesimaquinta octavæ parte: quæ vigesimaquinta octavæ pars, est grana duo, cum viginti duabus vigesimis quintis

unius

unius grani, si octava unciæ pars ex granis septuaginta duobus constituatur, veluti ab antiquis consticuebatur : quamquam ab Hispanis nunc in auri ponderibus septuaginta quinque grana in octava unciæ numerentur, ut inferius trademus. Continebat itaque ponderalis Romanorum libra ex nostri Hispanici marci ponderibus uncias undecim, octavas septem, grana duo cum $\frac{2}{2}\frac{2}{5}$ unius grani. Uncia autem Romanorum pendebat ex nostris Hispanicis ponderibus octavas unciæ septem, cum viginti tribus partibus, quarum vigintiquinque complent unam octavam, nempe, octavas unciæ septem, scriptula (hoc est tertias octavæ) duo, & grana duo de viginti, cum sex vigesimis quintis unius grani. At enim si vice versa in Romanorum ponderibus animadvertantur pondera nostra, sane cum nostrorum ponderum nonaginta novem sint antiquorum ponderum centum, sesquibes quidem noster, seu unus marcus & dimidius, ex duodecim unciis nostris constans, qui antiquorum libræ medicinali respondet (estque nostræ libræ vulgaris sexdecim unciarum dodrans) ponderabit ex Romanorum ponderibus, uncias duodecim, cum partibus quatuor, quarum triginta tres unicam

cam Romanam unciam complent, seu uncias duodecim, cum partibus triginta duabus, quarum triginta tres constituunt unam Romanam drachmam: quæ triginta duæ trigesimæ tertiæ unius drachmæ, sunt scriptula duo & grana viginti-unum cum novem unius grani undecimis. Uncia autem nostri bessis seu marci pendebit ex ipsorum Romanorum ponderibus unciam unam cum nonagesima nona unius unciæ parte, seu unciam unam, grana quinque cum novem undecimis unius grani. Quum itaque nostri Hispanici marci pondera, à Romanorum ponderibus nonagesima nona tantum parte varient, ut sesquimarcus, seu sesquibes noster minori adhuc quantitate, quam unica drachma libram Romanam excedat: uncia autem nostra, Romanorum unciam, minori etiam quantitate quam granis sex: atque medici fere omnes antiqui Romanorum ponderibus usi sint, quæ Romani ipsi, nationibus omnibus quibus præerant, ad communes usus impertierant: nullo sane incommodo medici ac Pharmacopolæ ponderibus nostri vulgaris marci, perinde ac Romanis, uti in medicina poterunt. Quanto vero incommodo ac detestãdo errore iis utantur ponderibus, quæ in medicinali illa libra continen-

tinentur, quæ ad uſus tantum officinarum Hiſpanicarum concinnata eſt, adeo manifeſtum eſt, ut nunquam ſatis admirari poſſimus tot ac tam doctos medicos, quibus Hiſpania, noſtro præſertim ævo abundarit, hunc errorem in locis, quibus medicinam faciebant, minime advertiſſe, aut ſuis in ſcriptis notaſſe. Quamquam enim incommodum, quod in medicamentorum doſi ex ponderibus apud officinas uſitatis reſultat, ipſi aſſequi nequirent, quod ejus cauſam percipere non poſſent, ignorantes quam varia eſſet Romanorum ponderum, ab antiquis medicis uſitatorum, proportio ad illa, in officinis Hiſpanicis uſurpata pondera (quam nos inferius manifeſtabimus) nihilominus aliud multo majus incommodum illos ſaltem ſubterfugere non debuit, quod nimirum ex perverſa ponderum illius medicæ libræ diſtributione, mirabile dictu (ne potius miſerabile ac plorratu dignum dicam) pleræque ex antiquis medicamentorum compoſitionibus in officinis uſitatis ſint perverſe compoſitæ, minime ſervata medicamentorum proportione, quæ ipſis compoſitionibus per ſuos auctores præſcripta eſſet. Quæ omnia ut dilucidius cognoſcantur ipſam officinarum libram ac ejus ponderum rationem

examinabimus. Hæc illorum libra ex duodecim unciis, perinde ac antiquorum libra, conſtat. At ipſæ duodecim ejus unciæ minores ſunt quam ſeſquibes vulgaris (puta, duodecim unciæ marci vulgaris Hiſpanici) ſex octavis unciæ ipſius marci vulgaris: quoniam unaquæque ex illis medicinalis libræ unciis, minor eſt quam uncia marci vulgaris dimidio unius octavæ unciæ ipſius vulgaris, marci: quod octavæ dimidium, Hiſpani appellant adarme, eſtque minimum ipſius vulgaris marci pondus. Porro illam medicæ libræ unciam in novem drachmas dividunt, & ſingulas drachmas in tria ſcriptula, ac tandem ſingula ſcriptula in grana viginti: ut una medicinalis uncia conſtet novem drachmis, ſeu ſcriptulis viginti ſeptem, vel granis quingentis ac quadraginta. Quibus ita conſtitutis, manifeſtiſſime jam apparet, quod prius advertimus, medicinarum doſes, ab antiquis prçſcriptas, minime cum hiſce officinarum ponderibus ſervari poſſe: ſed multo minore quantitate nunc propinari quam ab antiquis definiebantur. Siquidem medicamentum, cujus doſis præſcripta erat ab antiquis unius unciæ pondere, nunc Pharmacopolarum unciæ pondere exhibitum, minori ſumitur quantitate

titate quam olim propinabatur unius fere drachmæ seu octavæ dimidio, nempe, scriptulo uno, granis sex, cum sex grani undecimis, quibus Pharmacopolarum Hispanorum uncia minor est quam antiquorum uncia. cum enim uncia nostri vulgaris marci pendat, ut dictum est, ex Romanis ponderibus unciam unam, grana quinque, cum novem undecimis, vel (quod idem est) scriptula vigintiquatuor, cum octo tregesimis tertiis unius scriptuli: & uncia Pharmacopolarum nostrorum pendat ex nostri marci vulgaris ponderibus quindecim medias octavas, vulgo dictas adarmes: sane uncia Pharmacopœorum Hispanorum pendet ex Romanis ponderibus scriptula viginti duo, cum octo unius scriptuli undecimis, videlicet, drachmas septem, scriptulum unum, grana septemdecim, cum quinque unius grani undecimis. superatur itaque uncia Pharmacopolarum nostrorum ab uncia antiqua, per scriptulum unum, grana sex, cum sex undecimis grani unius. In eo vero medicamento cujus dosis ab antiquis præfinita erat pondere unius drachmæ, magis adhuc peccant qui illud exhibent Pharmacopolarum sibi respondenti drachma: cum enim hæc sexaginta grana pendat ex iis

quæ in octava marci vulgaris numerantur septuaginta duo: atque octava ipsa marci vulgaris pendat ex Romanis ponderibus scriptula tria, cum una scriptuli trigesima tertia, nempe, scriptula tria cum octo undecimis unius grani (siquidem scriptula ipsa tria cum octo unius grani undecimis sunt octava pars scriptulorum viginti quatuor, granorum quinque, cum novem undecimis, quot docuimus antea habere unciam nostri marci vulgaris ex Romanorum ponderibus) sane drachma ipsa Pharmacopœorum, pendet ex Romanorum ponderibus, scriptula duo, cum quinquaginta duabus scriptuli nonagesimis nonis, vel (quod idem est) scriptula duo, grana duodecim cum viginti grani trigesimis tertiis. Quod etiam inde constabit, quod scriptula hæc duo, cum granis duodecim & viginti trigesimis tertiis unius grani, sunt nona pars scriptulorum 23. gr. 17 $\frac{5}{11}$, quot ostendimus continere ex Romanis ponderibus unciam Pharmacopœorum Hispanicorum. Drachma autem ipsorum Pharmacopœorum, est suæ unciæ pars nona. Quo circa ipsorum drachma, minor erit quam antiquorum drachma granis undecim, cum tredecim trigesimis tertiis unius grani. Atque ita

medi-

medicamẽtum, cujus dosis sit unica drachma, exhibitum pondere drachmæ Hispanicorum Pharmacopolarum, datur minori dosi, quam ab antiquis erit præscripta, per dimidium fere scrupuli ipsorum antiquorum. Quod si medicamenti dosis per scriptula esset definienda, pro singulis quatuor fere granis, exhiberetur ejusmodi medicamentum minori pondere quam antiquitus erat præscriptum. Siquidem scriptulum unum Hispanicorum Pharmacopœorum, continet ex antiquis ponderibus grana viginti, cum viginti nonagesimis nonis unius grani, quanta est tertia pars scriptulorum duorum cum granis duodecim & viginti trigesimis tertiis unius grani, quæ continere ostendimus ex antiquis ponderibus drachmam ipsorum Pharmacopœorum. At enim licet non parvi sit momenti hic error in medicamentorum dosibus à nobis animadversus, multo tamen magis detestandus est ille, qui in medicamentorum compositionibus cum hisce Pharmacopœorum ponderibus committitur, depravatis per eadem simplicium medicamentorum illas ingredientium proportionibus: nisi forsan simplicia ipsa, compositum constituentia, uno aliquo dumtaxat ponderis genere (ut libra,

 vel

vel uncia, aut drachma) numerentur, vel ſaltem libra ac uncia, vel drachma ac ſcriptulo. Ut ſubſequenti exemplo perſpicuum fiet: ſit medicamentum aliquod, ab antiquis compoſitum, in quo quatuor ſint ſimplicia, quatuor diverſis ponderũ generibus numerata: ut puta, primum unius unciæ pondere, alterum unius drachmæ, tertium unius ſcriptuli, & quartum unius grani. Quoniam (ut dilucide à Georgio Agricola probatum, ac ab omnibus bonarum artium cultoribus receptum adeo eſt, ut nulla ulterius indigeat probatione) apud antiquos tam Græcos quam Romanos, ac etiam Arabes medicos, conſtabat uncia drachmis octo, drachma ſcriptulis tribus, a ſcriptulum granis viginti quatuor:

a *Quod Arabes ſimiliter ac Græci & Latini ſcriptulum, quod Garme aut Karmet appellabant, in grana viginti quatuor diviſerint, inde evidenter conſtat, quod illud eodem modo quo Græci ipſi & Latini in duos diſtribuunt obolos ab eis Onolaſſat appellatos: & Onolaſſat in Danich unum cum dimidio, nempe, ſeſqui lupinum: Danich autem ſeu lupinum in duas ſiliquas, Kirath ab eis nuncupatas: & ſiliquam in duo areola, quæ vocant Keſtuf: & areolum tandem in duo grana. Quæ omnia ſimul collecta efficiunt ſummam viginti quatuor granorum. Porro Danich hic cum Georgio Agricola juxta Cleopatram & Arabes ſub triplum ſcriptuli conſtituimus. quamquam Fannius & alii illud ſcriptuli ſubquadruplum faciant.*

tuor: manifestum est, quod ex præfatis illis quatuor simplicibus, pondus quidem secundi erit octava pars primi: pondus vero tertii, tertia pars secundi, primi autem pars vigesima quarta: & demum pondus quarti, vigesima quarta tertii, septuagesima secunda, secundi, & quingentesima septuagesima sexta simplicis prioris. Quod si hujusmodi medicamētum à nostris Pharmacopœis suis concinnetur ponderibus: quum apud eos (ut antea exposuimus) uncia drachmis novem constet, vel scriptulis viginti septem, aut granis quingentis quadraginta: in proposito illo composito, pondus quidem simplicis secundi, erit nona pars simplicis prioris: pondus vero tertii, erit secundi tertia, prioris vero vigesima septima: & pondus tandem quarti, erit tertii vigesima, at secundi sexagesima, prioris autem quingentesima. Vides jam Pharmacopola amice quam belle tuum medicamentum composueris, in quo omnium ferme simplicium interse proportiones, ab eis, quas eidem antiquus ille tuæ compositionis auctor præscripserit, mutatæ sint ac diversæ. Sed dicet hic noster Pharmacopœus se auctorem, ac etiam auctores suos habere quos sequatur: Nicolaum illum Salernitanum, Saladinum, & suum

etiam Mefuem. Sed quod de Mefue tradunt,eum nufquam unciam in octo drachmas divififfe, quin & in fuis medicamentorum defcriptionibus fæpius octo drachmarum & quatuor drachmarum meminiffe (ut in hiera diacoloquintidos, in Tryphera perfica, fyrupo violaceo, fyrupo de jujubis, & aliis) quod minime faceret fi unciam octo drachmis conftare credidiffet, dicturus potius loco drachmarum octo unciam unam: & pro drachmis quatuor femunciam five unciam femiffem: tantum quidem abeft ut id pro eis faciat, ut etiam magis, hoc eodem ipforum argumento, convincantur. Similiter enim oftendi poteft, minime potuiffe Mefuæum, unciam in novem drachmas diftributam opinari: quum paffim in eifdem ipfius defcriptionibus videamus fcriptas drachmas novem, & drachmas duo de viginti, & drachmas quatuor & femiffem: ut in defcriptione emplaftri Arabici, & emplaftri relati ad Andromachum, & in oleo de croco, & in fua ipfius hiera, ac multis aliis ipfius compofitorum defcriptionibus. Quum autem indifcriminatim ipfe in fuis defcriptionibus interdum numero drachmarum octo, interdum novem utatur: verifimilius cenfendum foret per numerum drachmarum octo,

octo, unciam intellexiſſe, quam drachmarum novem. Quum enim reliqui omnes Arabes, de ponderibus ſcribentes, unciam in octo drachmas diviſerint, illam ſacrum, has vero drachmas nominantes, neque ipſe aliquid contra hanc omnium Arabum diſtributionem animadverterit: nullus cordatus homo ſuſpiciari debet novam aliam unciæ in novem drachmas diſtributionem allaturum illum in ſuis compoſitionibus, citra ullam ſui novi dogmatis rationem aut ſaltem expoſitionem, quam in aliquo ex ſuis ſcriptis adduceret. At vero ipſum minime quidem potuiſſe ejuſmodi unciæ in novem drachmas diviſionem intelligere, jam in ſua deſcriptione medicamenti hamech apertius oſtendemus. In qua ita ſcribit: Myrobalanorum chebulorum, & nigrorum, reubarbari ana uncias duas. Agarici, coloquintid. Polypodii, ana drachmas duo de viginti. Si igitur per drachmas duo de viginti, intelligeret uncias duas: cur non dixit, Myrobalanorum chebulorum, & nigrorum, reubarbari, agarici, coloquintid. Polypodii ana uncias duas? vel ſaltem: Myrobalanorum chebulorum, & nigrorum, reubarbari, ana uncias duas, agarici, coloquintid. Polypodii ana uncias duas, vel tan-

tantundem? Quod autem ſæpius in ejus, ut & in aliorum auctorum pleriſque deſcriptionibus, bis ac etiam pluries in una & eadem deſcriptione idem ponderum numerus reperiatur, manifeſtiſſimum eſt. Quo circa potius quidem, eodem Pharmacopolarum argumēto, credendum erit, Meſuem, ex octo drachmis, unciam, cum reliquis omnibus Arabibus ac antiquis cōſtituere, quam ex novem, à nullo ante eum unquam excogitatam. Neque etiam aliquid movere eos deberet, quod ille in ſuis deſcriptionibus interdum dicat unciam unam, interdum vero drachmas octo, pro uncia una. Ita enim etiam de libra dubitare poſſent, an apud eundem ex duodecim unciis conſtitueretur. Siquidem de ea, idem quod de uncia objicitur, afferri poſſet: ut in deſcriptione confectionis teſticulorum vulpis ipſius Meſuæ: ubi inquit: ſucci Bugloſſæ libras duas, ſucci pomorum dulcium uncias duodecim, zuchari libras tres. Et in deſcriptione ſyrupi de portulaca, ſcribit: ſucci Endiviæ libras quatuor, ſeminis portulacæ uncias duodecim. Quod vero Saladinum etiam pro ſe afferunt, pudet nos ſane eos tantæ levitatis ſugillare, quos non puduit ab antiquorum præſcriptis deſciſcere, ac trivialis illius auctoris judi-

judicio *a* ſubſcribere: qui, eodem modo quo illi, alius ſibi ſimilis, Nicolai (inquam) Salernitæ, auctoritate deceptus, eum ſequi voluit in illa ponderum varietate quam in conterminis civitatibus annotarat: dicens, viginti grana tritici continere unum ſcriptulum: & unam unciam continere novem drachmas, ſecundum Salernitanos, at ſecundum Paduanos, octo, ſecundum Neopolitanos vero, decem: ſed quod *b* communiter tenetur, conſtare unciam ex drachmis novem. Quod quidem nulla alia ratione aut auctoritate nixus ſcribit, quam quod ita in illo Nicolai ſui Salernitæ libro ſcriptũ viderit. At jã ipſam tanti Nicolai auctoritatem expendamus. Quem ducem ipſe Saladinus, ac cum illo Pharmacopolæ ſibi eligere potius voluerũt quam reliquos omnium nationum ſcriptores tam antiquiores quam recẽtiores. Quatuor reperiuntur antidotariorum libri, Nicolai nomine inſcripti: duo Græci, quorũ unus eſt Nicolai illius vetuſtioris Alexandrini, qui Latine verſus eſt à Nicolao

a Sylvius in ſua methodo med. compo. inquit de ſervitore quod nos hic de Saladino dicimus. At re vera non ſervitor, ſed Saladinus fuit is qui Salernitanos ſequutus eſt in unciæ in drachmas novem, & ſcriptuli in viginti grana diſtributione. b *Similiter deceptus eſt in hoc Alexander benedictus barbara ſui temporis ignorantia ductus.*

Rhegino: alter vero Nicolai Myrepſi Alexandrini quoque nuncupati, quem vertit Leonardus Fuchſius. Duo autem Latini: quorum unus eſt Nicolai Salernitani, qui cum Meſuæ codicibus magnis impreſſus circumfertur: alter vero Nicolai præpoſiti, qui cæterorum noviſſimus exiſtit. Ex his quatuor libris, tres tantum ſuos proprios auctores habuere, nempe: Alexandrinum vetuſtiorem, Myrepſicum, & præpoſitum. Quorum recentiores licet à vetuſtiori pleraſque ex ſuis antidotorum deſcriptionibus mutuarint, multa tamen in iiſdem immutarunt ac de ſuo addiderunt. At liber ille Nicolai Salernitani titulo inſcriptus nullum proprium auctorem habuit. Eſt enim is liber Nicolai Alexandrini vetuſtioris fragmentum quoddam, ab ipſis Salernitanis medicis tranſcriptum, ex eo tempore, quo eorum ſchola magnum ſibi nomen arrogaverat in barbara illa illuvie qua tota Europa opprimebatur, omneſque bonæ litteræ obſoletæ jacebant. Quum enim ejus ſcholæ medici, reliquis adeo peritiores exiſtimarentur, ut aliis leges in medicina dare valerent, regimen ſuum Salernitanum, pro tuenda ſanitate, compoſuere, & hunc antidotorum librum, ad curandos morbos deſervientem, concin-

cinnarunt, minime quidem ausi novas medicamentorum compositiones prostituere, sed ex Nicolai vetustioris antidotario, eas, quas sibi usui magis fore arbitrarentur, seligentes, & in summam, ac veluti compendium redigentes, quæ ipse Nicolaus, tam in proœmio sui operis, quam initiis cujusque suarum compositionum descriptionis, ad earum usus explicãdos scripserat, librum illum edidere. In quo nihil de suo addidere: quin potius eo quo diximus modo ediderunt: atque etiam nonnullas compositiones, quæ sibi in magna quantitate descriptæ visæ sunt, discerpentes, earum aliquotas partes transcripsere, sed adeo sinistre, ut plerasque omnes ob arithmeticæ imperitiam defædaverint, nescientes, simplicium medicamentorum, compositionem ingredientium partes, excipere proportione ei respondentes quam ex integra ipsa compositione assumere studebant. Ut tutius multo sit eas, immo omnes, quascunque in libello illo transcripserunt, ex ipso vero Alexandrino auctore, quam ex illa eorum farragine repetere: & quoniam in illo multa impressionis vitia deprehenduntur, illas cum aliis earum similibus conferre, quæ in aliis Myrepsi & Præpositi antidotariis reperientur.

Ita enim errata, ſi quæ fuerint, corrigere facilius erit. Sed ut ad ipſum, à Salernitanis compilatum antidotarium convertamur, etſi in iis quæ Salernitani ipſi ab Alexandrino Nicolao tranſcripſerunt religioſe ſe habuere: nihil fere immutantes, aut de ſuo addentes, præterquam unam aut alteram deſcriptionem ex alterius Nicolai Myrepſi antidotario mutuatam: in ipſius tamen antidotarii calce brevem de ponderibus tractatum, ab ipſis compoſitũ infelicibus auſpiciis addiderunt. Quippe quum ex eo pernicioſus ille ad Pharmacopolas error emanarit, in diviſione unciæ in drachmas novem, ac ſcriptuli in grana viginti. Quem quidem tractatum ipſi de ſuo addiderunt, ponderum diſtributionem medicis ac Pharmacopolis præſcribentes, eo modo, quo in ipſorum patria, Salerno, vulgo recepta erant. Quum enim pleræque Italiæ civitates varie pondera ipſa ac præſertim unciam partirẽtur, unaquæque ſuis propriis uſibus conſulens: conſultius eis viſum fuit, ſi juxta ſuæ ipſorum patriæ rationem pondera in medicina ſtatuerent. Neque vero, ob matheſeos imperitiam, incommoda à nobis expoſita, in medicamentorum antiquis compoſitionibus, circa ſimplicium, eas ingredien-

dientium, proportiones ipſi percipere poterant. In quo licet venia aliqua eorum ignorantia condigna videatur: noſtri ſane temporis Pharmacopœi ac medici, adhuc idem peccantes, nulla omnino venia digni cenſendi. Quum aureis hiſce temporibus omnes fere bonæ artes, ac inter eas mathematicæ diſciplinæ, ad priſtinum ſuum nitorem reſtitutæ ſint; Atque in eo etiam magis culpandi videntur, quod ob unum hunc tantum chimericum Nicolaum (quid enim ſic appellare non liceat eum qui numquam fuit, niſi nomine tenus, ab ipſis Salernitanis confictus, mutuato ab eo Nicolao nomine à quo etiam fuit deſcriptus) ab aliis tribus veris Nicolais, immo à tota antiquitate, deſciſcere maluerint. Quod enim Græci illi Nicolai ne per ſomnium illam unciæ diviſionem in novem drachmas cogitarint, nullus, ſanæ mentis, dubitare poteſt. Quum potius de minore ipſius unciæ in partes diſtributione ſuſpicari aliquis illis temporibus in aliquo ſcriptore poſſet: ut ſi eam in ſeptem partes diviſam ſignificaret, nomen drachmæ improprie pro denario uſurpans. Præpoſitus vero Nicolaus aliorum noviſſimus, tametſi barbarus, prudentius tamen de ipſis ponderibus agit, ita de

de uncia ſcribens: uncia eſt pondus drachmarum octo, ut tenet modus communis: in diverſis tamen regionibus variatur. Carmina autem quæ ibidem citat, quibus unciam novem drachmis conſtare, & ſcriptulum viginti granis ait, ex aliorum opinione recitat. Et ne nos aliquis forte prolixæ ac importunæ loquacitatis accuſet, quod in hoc expugnando Pharmacopolarum errore adeo ſimus expatiati, is intelligat à nobis id de induſtria factum, egerrime ferentibus, nullas unquam tantorum virorum admonitiones, quotquot de his ſcripſere, ſufficere poſſe, ut hic deteſtandus error ab officinis exterminaretur. Ut enim Fernelium, Fuchſium, Bernardum Deſſenium, Rondeletium, ac innumerabiles alios doctiſſimos medicos omittamus: unum eis Jacobum Sylvium objiciam, quem omnes fere Pharmacopœi tanquam alterum Meſuem, ac merito quidem, venerantur, qui ſerio ſatis ac prudenter hujuſce eos erroris admonet, ita *a* inquiens: Ne Nicolao Salernitæ credas, unciæ drachmas novem tribuenti, nulla veterum auctoritate. Cui & *b* Servitor neſcio quis ſcriptor triobolaris ſubſcribit. Hoſque

a *Lib. ſuo method. comp. med.* b *Saladinum voluit & debuit intelligere, ut antea advertimus.*

Hosque duces magna nostrorum Pharmacopœorum natio sequitur, nulla ratione alia, quam quod ab illis est hoc scriptũ, nulla aut ratione, aut scriptorum veterum auctoritate se tuentibus. Ex omnibus vero Pharmacopœorum nationibus nulli minor veniæ locus relictus quidem videtur, quam nostris Hispanis Pharmacopœis, qui ob unius ementiti Nicolai auctoritatem, non modo contra antiquos omnes ac ex recentioribus peritiores medicos, sed & contra suæ cujusque patriæ publicos ponderum usus, suis illis detestandis ponderibus abuti velint. Quum contra Salernitani illi sui Nicolai auctores, ea tantum ratione ne aliter sui medici quam suæ patriæ vulgus pondera tractarent, ab antiquorum ponderum partitionibus variare maluerint. In quo nostri quidem Pharmacopolæ peccatum adhuc peccato addere deprehenduntur, non modo in ponderum distributione, sed & in cujusque illorum quantitate à vulgi communi usu deviantes. Quum tamen idem Hispanorum vulgus illorum tum (ut jam ostendimus), quantitatem, tum etiam distributionem, ab antiquis veluti per manus traditas, perpetuo conservasse videatur. Quod enim antiqui drachmam nominabant, Hispani ipsi

ipſi vulgo octavam dictitant, unciam in octo dictas octavas, perinde ac antiqui in octo drachmas, diſtribuentes: & octavam rurſus in duas æquales partes dividentes, eas dicunt adarmes, qui ſeſqui ſcrupulo antiquorum reſpondet, eſtque (ut antea diximus) minimum in Hiſpanico marco pondus. Quo circa quanto ſatius ac commodius fuiſſet iiſdem Hiſpanici marci ponderibus ipſos medicos ac Pharmacopolas, eodem prorſus pacto quo vulgus, uti, evidentiſſimum jam omnibus fore minime dubitamus. Quoniam vero minoribus adhuc quam quæ in marco reperiuntur ponderibus ipſi medici ac Pharmacopolæ indigent, nempe, ſcriptulis ac granis: animadvertendum hic erit duobus granorum generibus uti hiſce noſtris temporibus Hiſpanos negotiatores ac aurifices. Argentarii enim fabri, vulgaris marci ponderibus dumtaxat contenti, ad inferius minusve pondus quam adarme minime deſcendunt. Sed ex præfatis aurificibus ac negotiatoribus, alii (ut in univerſo Luſitaniæ regno, ac in aliis pleriſque Hiſpaniæ provinciis) eandem quam antiqui, octavæ ſeu drachmæ, in grana ſeptuaginta duo, diſtributionem retinent: quæ quidem vera antiquorum in grana partitio à medicis ac Phar-

Pharmacopœis jugiter ſervanda erit: ita enim tertia eorum granorum pars, puta, grana viginti quatuor, ſcriptulum unum, eodem prorſus modo quo antiquorum grana, conſtituunt. Porro hæc ipſa grana, quorum ſeptuaginta duo octavam noſtri marci complent, ſunt eadem, quæ ab Hiſpanis Pharmacopolis hactenus in uſum habentur. Minime enim in eorum pondere errant, niſi in eo quod cum quatuor & viginti ex hiſce granis in ſcriptulo contineantur, & ſeptuaginta duo in drachma perinde ac in octava marci: ipſi, Nicolai auctoritate decepti, eorum viginti dumtaxat in ſcriptulo, ſexaginta autē in drachma numerant. Alii vero Hiſpanicorum negotiarorum & aurificum, ac præſertim in noſtra hac Hiſpalenſi civitate, octavam ipſam, in grana ſeptuaginta quinque partiuntur. Quod autem ipſi in hujuſmodi octavæ diſtributione à veterum ac aliarum Hiſpaniæ nationum communi uſu recedant, non abs re quidem nec citra ſuorum uſuum rationem ab eis factum eſt, pro conſervanda ac commode tractanda illa altera marci diſtributione, qua illum (poſt quam Hiſpani occidentales indias poſſederunt) in quinquaginta pondo diſtinxere, quæ ſuo proprio nomine vulgo nuncupant

cupant

cupant: Peſos aut Caſtellanos, Quum enim ex hac marci diſtributione ſingulæ unciæ pendant Peſos vulgo eorum dictos, aut Caſtellanos ſex cum una quarta ipſius pondo ſeu Caſtellani: ſi octava ſeptuaginta duo grana, uncia vero quingenta ſeptuaginta ſex, eo modo quo antiquitus, contineret: moroſa admodũ in minutias partitio ſingulis Pondo ſeu Peſis contingeret: nempe, granorum nonaginta duorum, cum quatuor vigeſimis quintis unius grani. Quæ quidem minutiarum prolixitas, maxime ipſius pondo ſeu caſtellani numerationes impediret, ac negociationes ipſas interturbaret: prælertim cum pondo ipſum ſeu caſtellanum, in alias etiam minores partes dividi opus foret. Ac proinde, haud injuria, aliam octavæ ac unciæ in grana diſtributionem, hujuſce marci in pondo quinquaginta partitioni deſervientem, contingi oportuit: qua octava in ſeptuaginta quinque, uncia vero in ſexcenta grana dividerentur, minoribus aliquantulum ipſis granis conſtitutis quam olim fuerint. Quomodo in ſingulis pondo ſeu caſtellanis nonaginta ſex grana numerant: & pondo ipſum in octo pattes diſtribuentes, quas vocant tomines, ſingulis tominibus duodecim grana tribuunt. Vnde etiam con-

conſtabit hujuſmodi Hiſpanorum tomin, licet ex granis duodecim conſtituatur, minus quidem eſſe quam dimidium ſcriptuli medicorum. Quoniam ex granis illis conſtitutum eſt, quorum ſeptuaginta quinque continentur in octava: grana vero medicorum, quorum viginti quatuor ſcriptulum conſtituunt, debent eorum eſſe quorum ſeptuaginta duo ipſam octavam complent.

In ſubjunctis Tabellis Romanorum ponderum ad Hiſpanica, & rurſus Hiſpanicorum ad Romana pondera certa traditur ratio. Vnde aliarum quoque nationum ponderum ab ipſa Romana ratio poterit æſtimari. Exponitur etiam antiquarum apud Romanos menſurarum ex Hiſpanicis ponderibus capacitas: ut ſi ſingularum nationum uſitatæ menſuræ cum his conferantur, proportio quam inter ſe mutuo habuerint, explorari facile poſſit.

TABEL-

LIBER SECVNDVS,

DE

MEDICAMENTORVM expurgantium tritura, ac multiplici in illa Pharmacopœorum errore.

DETECTVM jam & emendatum priorem Pharmacopœorũ noſtrorum errorẽ in eorum ponderum ratione & uſu, alter jam ſeſe æque pernitioſus ac communis notandus corrigenduſque ſubſequitur, circa expurgantium Pharmacorum, & præcipue Scammonii, in compoſitis medicamentis triturationis. Quam omnes fere Hiſpani Pharmacopœi, craſſiſſima oſcittāia, perpetuo craſſam eſſe volunt. Quumque opinionem hanc, in illorum animis inveteratam, tanquam inviolabilem legem tueantur, non minus convenire exiſtimo in hoc

hoc extirpando errore, quam in ponderum antiquorum restitutione, immorari. His enim maximis à Pharmacopoliorum foro abusibus exclusis, parvo admodum negocio reliqua omnia convincentur: nimiaque in hisce convellendis prolixitas, aliorum, quæ tractanda restant, brevitate compensabitur. Quod itaque illi omnes, communis præcepti nomine observant, hujusmodi nimirum est: in compositis omnibus medicamentis nulla expurgantia pharmaca, uno aut altero excepto, esse tenuiter terenda: Sed in electariis alia crasso modo, alia vero mediocriter: in pillulis autem omnia crassius jugiter terenda. Atque cum singulos è nostris Pharmacopœis in hac Pharmacopoliorum recognitione examinaremus, ut quid unusquisque in medicamentorum tritura crassum aut mediocre judicaret, facta similitudine cum re aliquá naturali, proferret: tantam inter eos comperimus varietatem, ut nullus fere cum alio sentiret. Videres unum ad dimidium cicer id referre, quod sibi videbatur crassum: alium id ipsum ad granum orizæ: quosdam ad milium, alios ad sesaminum semen. Atque juxta hasce easdem differentias varie ipsa expurgantia medicamenta terebant: in hoc tantum omnes con-

convenientes quod minime essent subtiliter terenda. Quam quidem opinionem adeo firmis credunt innixam esse fundamentis, ut quodvis aliud medicinæ theorema potius corruere ac labefactari posse credant. Primum autem ac potissimum eorum fundamentum est Galeni illa famosa auctoritas lib.4. de san. tu. Ubi in hunc modum scribit Galenus: Hæc omnia simul tundenda cribrandaque sunt tenui cribro. Quippe ejusmodi medicamenta in totum corporis habitum maxime digeruntur. Veluti è diverso crassiora in ventre hærent, ut quæ angusta venarum oscula subire nequeant. Quam ob rem etiam medicamentum, quod Diospoliticon vocant, cujus in hoc libro antea mentionem feci, crassius facere soleo, quoties dejicere alvum per id studeo. Quidam vero id non intelligens, cum tenuissimum minutissimumque instar pollinis fecisset, ut alvo dejiciendæ nihil contulit, sed urinam plane multam movit: mecum rem communicavit, mirans ac sciscitans ejus eventus veram causam: ipse enim arbitrari se ajebat, hominis intemperantiam (nam ita appellabat) ejus quod inciderat causam esse. Ut vero propriam causam didicit esse compositionis rationem, post-

modum aliter composuit meliore successu. At hujus quidem præcepti in omnium medicamentorum compositione meminisse expedit. Alterum vero fundamentum quo suam opinionem maxime fulciri credunt nostri Pharmacopœi, est a Mesuæ auctoritas in Canonibus universalibus ubi præfatam Galen. auctoritatẽ citat, in hunc modum scribens : Triturationis necessitas est triplex : aut ut miscibilium in unum melior fiat sigillatio, aut ut medicinis aliqua proprietas acquiratur, vel ut in eis aliqua malitia reprimatur. Exemplum primi, est trituratio theriacæ & aliarum medicinarum. Exemplum secundi : inquit Gelenus, institi ultime triturando & pulverizando cuminum, & cum esset natura solutivum, factum est urinæ provocativum. Ego dico quod aliquando aliquod acutorũ, solutionem facientium, ultimo pulverizatum acquirit proprietatem post illud ut fiat magis penetrans, & repat ad alias partes in quas non poterat prius, & provocet per illas. Demum hoc idem præceptum ab omnibus fere scriptoribus, quotquot Pharmacopœas tradidere, observari credunt Pharmacopœi : quorum auctoritates plenis buccis sonare non cessant, & præsertim Jacobi Silvii,

a *Cap. de tritur.*

In

In cujus verba cum plerosque eorum jurare intelligamus, quæ ex ejus scriptis pro eis magis facere videbuntur, hic afferre non pigebit. Is itaque in *a* sua methodo de componendis medicamentis, ita inquit: Sic Scammonium tenuissime terunt, si medicamentis corpus pervadentibus miscent, crassius autem si catapotiis aut aliis, quæ diu in ventriculo manere volunt. Similiter in sua Pharmac. *b* in hunc modum scribit: Scammonium exacte terendum, nisi cum in catapotia venit. Tunc enim crassius tritum diutius in ventriculo manet, potentiusque agit: & infra: Quædam crassius terenda, quæ in ventre diutius morari volumus, nec promte vasorum ora subire: sic purgantia medicamenta crassius teruntur, ut in ventrem, partem minus principem, & evacuationi expositissimam, ex corpore reliquo trahant, non autem ad partes principes tota ferantur, easque offendant, cum ad has facultate aut saltem vapore ferri, vel (quod plurimum fit) portione paucissima sufficiat. Crassius etiam teruntur, quorum virtutem multa tritura dissipari metuimus. Sic scammonium vim purgatricem multa tritura perdit. Et inferius; sic scammonium, colocynthis, & alia valen-

a *Lib.* 3. b *Lib.* 2.

ter purgantia, nunc crassius, cum illud in pillulas, hæc in trochiscos transit; nunc tenuius ob dictas prius rationes: rhabarbarum tamen fere tenuius teritur, ut colocynthis tenuissime, cum mox & citra aliam per trochiscos trituram sumenda. Scammonium quoque crassius teritur, si coquendum est cum aliis, aut diu ante usum servari debet medicamentum: idque ne vis ejus coctione per ignem aut longam fermentationem exhalet. Sed ut tum Galeni, tum Mesuæ, ac Silvii aliorumque auctorum qui recte de his sensere, probe percipiatur mens, illud hic exponere conveniet, quod nostris Pharmacopœis omnis in hac re erroris causa extitit; nempe, quid in proposita quæstione trituræ nomine intelligatur, & quid in ea crassum aut tenue vel mediocre statui oporteat. Quum tamen ipsi nihil magis sibi notum credant, nec frequentius in ore habeant. Trituræ seu contusionis voces bifariam apud auctores accipi solent, Aut enim in latiori ac fusiori significato usurpantur, pro qualibet unius vel plurium rerum in partes cōminutione, sive illæ plures vel pauciores sint, seu exiguæ vel majusculæ ; Aut strictiori ac peculiari, pro ea in minimas partes comminutione, qua res in pulverem redi-

rediguntur.[a] In priori quidem significatione ad id extenduntur, quod peculiari voce confractio, vel conquassatio, aut concisio, & ab aliquibus etiam proprie contusio appellatur. Quomodo res in pauciora ac majora frusta, pro cujusque generis quantitate, confractæ considerantur, quam ut sub pulverum nomine comprehendi possint. Cujusmodi contritionem à Galeno præcipi perpetuo comperies in medicamentis ore assumendis, ubicumque res ipsæ contusæ sint in aliquo liquore decoquendæ, & tali decocto abjectis fæcibus uti oportuerit. Atque hujus generis comminutionem vocibus significat *a* κόπτειν ἁδρομερῶς, quod est, in crassas partes contundere: vel *b* κόπτειν καὶ σήθειν παχυτέρῳ κοσκίνῳ, quod est, contundere & cribrare crassiore cribro. Hunc etiam contritionis modum designavit, ubi filicis radices contundere *c* præcipiens in Andromachi arteriacis, modo *d* inquit quod εἰς τριδάκτυλα κατατέμνονται καὶ καταθραύονται: hoc est,

 in

a Vt lib. 7. de comp. phar. sec. lo. cap. 2. in arteriaca delingibili ad omnes internas affectiones, & lib. 8. cap. 2. ubi secundam affert Andromachi compositionem ex Iampone Pelusiota ad stomachicos. b *Vt lib. 9. de comp. Phar. se. lo. cap. 4. in eclegmate colicus nectareo facienti pleuriticis & dyspnoicis.* c *Lib. 7. de Pharma. comp. sec. loc. cap. 2.* d *Post principium ipsius cap. 2.*

in frustra trium digitorum magnitudinis conciduntur & confringuntur: *a* modo quod *κατατέμνονται εἰς δακτυλιαῖα μήκη, καὶ κατατέμνοντες θραύομεν*, id est, concinduntur in frusta digitalis longitudinis, & concisæ confringuntur. In altera vero significatione, trituræ aut contusionis voce, id significatur, quod à medicis ac Pharmacopœis peculiariter pulvis appellari solet: & quæ hoc modo contrita sunt, in pulverem redacta esse dicuntur, vel (ut Plinius loquitur) in farinam trita. Sæpius enim ejusmodi pulvis à Galeno & aliis auctoribus nominatur farina. Quamquam proprius loquendo leguminum tantum pulvis dicatur farina: ut combustarum rerum pulvis (juxta *b* Galeni sententiam) cinis. Atque hunc trituræ modum designare solet Galenus vocibus *τρίβειν καὶ σήθειν*, quod est, terere & cribrare, & interdum una tantum vo-

ce

a Eodem cap. 2. prope finem. Vbi δακτυλιαῖα μήκη vertimus cum Plin. Digitalis longitudinis, potius quam cum Cornario, Digitalis magnitudinis: quoniam verbo μήκη proprie longitudo significatur. Atque ut hæc frustulorum radicis filicis mensura cum ea quam in arteriaca priori adduxerat conveniret, necessario intelligere oportet hanc quidem juxta digiti unius longitudinem, illam vero juxta trium digitorum transversorum latitudinem esse accipiendam. Ita enim una ab altera parum differt. b *Lib. 6. de comp. Phar. se. lo. cap. primo.*

ce τρίβειν, id est, terere: sed sæpius duabus simul vocibus κόπτειν καὶ σήθειν, videlicet, tundere & cribare. Perpetuoque hujusmodi trituræ vel contusionis genere uti illum comperies in omnibus cōpositis medicamentis ore assumendis, ubicumque res siccæ, quæ tundendæ proponuntur, tota sua substantia compositionem ipsam ingredi debeant. Porro quum in omni contritione tres ordines seu modi considerentur: ut alia crassius, alia tenuius, alia vero medio modo trita dicantur, juxta majorem minoremve aut mediocrem rei terendæ comminutionem: planum quidem est, hos ipsos ordines intra alterutrius trituræ generis limites contentos esse debere: ut quod crassum in eo contusionis genere dici mereatur, quo proprie conquassatio significatur, ab eo multum differat quod crassum similiter vocetur in altero contusionis genere, quod pulveres designat. Quicquid enim in ea rtitura qua res in pulverem rediguntur crassum dici potest, ut pulveris non excedat fines, consentaneum fuerit: nimirum ne in crassiora fragmenta confringatur, quam quæ pulveris vel farinæ nomen mereantur. Quumque pulveres aut farina quantumcunque crasse trita dicantur, minime furfures ipsos

sua crassitudine exuperent: ita statuendi erunt tres illi ordines in hoc trituræ genere quo res in pulverem rediguntur, ut quod in eo crassius tritum dicatur, in frustula furfuribus minora, aut saltem minutos furfures non excedentia, sit contusum. Quod etiam *a* Aetii auctoritate confirmari potest, qui ellebori ramenta, quæ ψαλιςὸν appellat, fieri præcipit illius festucis ad furfurum magnitudinem forcipe concisis. Quod vero ejusmodi ellebori comminutioni non conveniat trituræ nomen in sua illa propria significatione qua pro pulveribus usurpatur, ex proprio ψαλιςῶ significato aperte constat: quod latine sonat ramentum, & expressius *b* forcipe concisum seu resecatum: Quod trituræ quadrat significato fusiori, quod ad contusionem & concisionem extenditur, unde manifeste constat ex Aetii sententia id quod proprie pulvis seu farina dici debeat, quantumvis crassius consideretur, & ab auctoribus confici præcipiatur, in minora fragmenta comminui debere quam sint furfures, crassiores saltem illi qui Græce πίτυρα dicuntur. Et quoniam pulveres farinæ aptissime comparantur: quemadmodum in hac tres differentias connumeravit

a *Tetr. 1. ser. 13. cap. 131.* b ἀπὸ τοῦ ψαλίζω.

vit Galenus *a* in ling. Hip. explan. inquiens: omnis moliti grani mediocri magnitudine fragmentum ἄλφιτα vocari, majora, κρίμνα, minora autem ἄλευρα: ita hisce tribus farinis, aut farinæ partibus correspondentes illi tres trituræ ordines statuendi sunt: vel crassior pulvis κρίμνον æquet, nempe, farinam crassius molitam, seu crassiora farinæ frustula quæ mola probe contrita non sunt, vel etiam crassiorem farinæ partem quæ per cribrum laxiora habens foramina decussa est, quæque nondũ ab omni furfure excreta est, sed minutos etiam furfures in se continet (qualis ea est quæ Hispanis dicitur harina baça vel acemite gruesso) aut ad summum furfures ipsos minutos, qui hac in civitate dicuntur moyvelo. Quod enim per vocem simplicem κρίμνον non possint intelligi furfures crassiores, immo neque farina crassissima & quæ crassiores contineat furfures, constat ex ipso Galeno, *b* eodem loco asserente hujusmodi crassissimas farinas vocari ab Hip. non simpliciter κρίμνα, sed κρίμνα ἀλφίτου ἁδρά. Tenujor vero ei farinæ parti comparetur, quam Galenus citato loco ἄλευρον vocat, alibi autem ἄλευρον ἀκριβῶς καθαρὸν, quod est, farina exacte

a *In voce* ἄλφιτα. *b* *In voce* κρίμνα.

depurata vel purissima: è qua panem ab eo dictum καθαρόπυρον, id est, purissimum, vel σιλιγνίτην, id est, siligineum fieri *a* præcipit: & est tenuissima farinæ pars per densissimum cribrum, vel (ut *b* Plinii verbo utar) excussorium pollinarium transmissa, à Græcis etiam dicta γύρις & παιπάλη, à latinis vero tritici flos, singulari nomine *c* pollen. Mediocris vero, seu mediocriter tritus pulvis, ei farinæ parti comparetur, quæ à Galeno eodem loco ἄλφιτον vocatur, & similæ seu similagini, Latinis dictæ, correspondere videtur, Hispanis autem peculiari voce appellatur Rollon. Poterunt autem iidem tres prænotati pulverum ordines, sensu in hunc modum determinari: ut dicamus crassos pulveres oculis posse discerni, mediocres vero digitis cōtrectatos deprehendi: tenues autem vix dentibus percipi. His ita constitutis operæ pretium fuerit videre quo trituræ significato interpretari consentaneum sit Mesuem, Sylvium, & cæteros omnes auctores. Quicumque medi-

a *Lib. pri. de alim. fac. cap. 2. ut & auctor libri de ren. affect. dig. & med. cap. 6.*
b *Lib. 18. cap. 11.* c *Pollen proprie in tritico, flos vero in siligine: juxta Plinium lib. 18, cap. 10.*

medicamenta expurgantia in compositionibus crassius conteri præcipiunt. Sane cum compositiones omnes in quibus expurgantia medicamenta ingrediuntur (quales sunt electaria, pillulæ, aut etiam trochisci) ex pulveribus confici dicant ipsi Pharmacopœi, usque eo, ut sicca omnia collecta, aut seorsim servata ad ipsorum electuariorum, pillularum, vel trochiscorum compositionem, polvoras proprio ac peculiari Hispanorum nomine à nostris medicis ac Pharmacopœis appellentur, quoniam re vera pulveres sunt & pulverum formam obtinere debent: Nemo jam non intelliget trituræ significatum, quo medicamenta omnia sicca in compositiones admissa in pulverem rediguntur, proprie quidem accipi debere, & non quatenus ad contusionem vel concisionem extenditur. Itaque tres illæ excogitatæ differentiæ, quibus unam trituram crassam dicimus, aliam tenuem, aliam mediocrem, ineptissime quidem hic afferentur, si eo modo quo in confractione vel concisione proprie dicta decernantur, & non prout pulverum ratio exigit, usurpentur. Atque ita eos qui ex hisce pulveribus crassissime tusi aut contriti dicentur, minime quidem ad furfurum magnitudinem

nem (ut ex Aetii & Galeni doctrina comprobatum habemus) accedere, vel saltem minutos furfures non excedere debere. Ex quibus jam manifeste constat quam turpis ac improbandus error sit, is quo hactenus ducti nostri Pharmacopœi scammonium & alia ex purgantia medicamenta suas compositiones ingredientia, quæ ab auctoribus crasso modo teri præcipiuntur, ad grani sesamini, vel milii, orizæve, aut etiam dimidiati ciceris magnitudinem confringebant. Qui etiam eo magis ridendus, vel potius deplorandus erit, quo absurdior est ratio qua sese illi in hoc tueri credebant: dicentes ita eis constitutum esse per quendam Pharmacopœum, qui superioribus diebus hujus civitatis Pharmacopolia recognoverat. At qui ex eis doctiores videri volunt, alium etiam, si diis placet, huic tanto auctori comitem adjungebant, *a* Paulum (inquam) qui aliquando ellebori radices ad sesami magnitudinem contusas assumendas præcipiat. Quod si placet, cur non etiam sua medicamenta conterunt ad lathyridis grani magnitudinem, quoniam idem *b* illa integra devorare præcipit: quasi vero eadem omnino sit habenda tritu-

ræ

a *Lib. 7. cap. 10.* b *Lib. 7. cap. 4.*

ræ ratio in ſimplici uno medicamento per ſe aſſumendo, quæ in eo quod pluribus conſtat ſimplicibus: & non potius diverſiſsima. In hoc igitur propoſitæ diſputationis vertitur cardo, an ſcammonium ac reliqua expurgantia medicamenta, quæ in pulverem trita compoſita medicamenta ingrediuntur, craſsius intra pulverum metas terenda ſint, an tenujus: idque an de omnibus expurgantibus & in omnibus compoſitis medicamentis ſtatuendum ſit, an aliter. Pro cujus controverſiæ vera deciſione nihil æque facere videtur, atque ipſius trituræ uſuum animadverſio: & juxta illos, eoſdem trituræ modos determinare. Nam ſi rem aliquam terendam ducimus, ut ex ejus tritura utilitas aliqua (verbi gratia) malignitatis cujuſpiam correctio, oriatur: planum quidem erit eum trituræ modum quo maxime ejuſmodi malignitatis correctio effici poſsit, magis eidem rei fore convenientem. Vſus igitur ſeu ſcopos trituræ omnes percurremus: atque eos exponentes, quæſtionem ipſam ſimul decidemus. Tres quidem à *a* Meſue ac reliquis Meſuem ſequutis medicis conſiderantur ſcopi: primus,

a In cann. univerſal. loco ante citato, ds tritu

mus, ut medicamenta ſimul miſceri exactius poſsint. Secundus, ut facultatem novam acquirant. Et in hoc etiam complectitur Meſues eum trituræ uſum qui ratione loci ſeu partis affectæ conſideratur: quem aliqui in hac ejus diviſione deſiderari contendunt: cujus tamen maximam rationem Galenus habuit. Tertius, ut malefica eorum vis mitigetur ac tollatur. Quibus etiam quartum addere poteris, ut medicamentum, ore ſumptum, à nativo ventriculi calore in actum (ut dici ſolet) melius deducatur. Omnibus igitur medicamentis, in quibus hæc omnia unico triturationis modo obtineri poſsint, nulli dubium erit quin is ipſe triturationis modus conveniat. In eis vero medicamentis, in quibus alius ex præfatis trituræ ſcopis unum trituræ modum, utpote tenujorem, alius vero alium, ut craſsiorem, expoſtulet: manifeſtum etiam eſt, juxta medicorum doctrinam, ac rationi ipſi conſentaneum, ut majoris momenti ſcopi major ſemper habeatur ratio, minori non neglecto: quod ſi omnino differentes fuerint, etiam neglecto minoris momenti ſcopo, ad eum qui majus emolumentum promittat, magiſque ad propoſitum nobis finem facturus videatur, erit dumtaxat reſpicien-

ſpiciendum. Vt ſi nobis opus ſit medicamenta aliqua ſimul macerare, quorum pars ſubſtantiæ tenuioris ac ſuperficiariæ ſit facultatis, pars vero alia ſubſtantiam craſſam & magis in profundo ſitam ſit ſortita: ſane ratione medicamentorum ſubſtantiæ tenuioris, brevi admodum macerationis mora opus erit, ut verbi gratia horarum duodecim: ratione autem medicamentorum craſſæ ſubſtantiæ, multo longiori mora, nempe trium vel etiam plurium dierum. At in eo caſu juxta prudentium medicorum præcepta, tot in maceratione ponentur dies, quot ea, quæ craſſioris fuerint ſubſtantiæ, poſtulaverint. Et ne à propoſito negocio recedam, quum Galeni & aliorum qui illum ſequuti ſunt, medicorum doctrinam, ad ſtomachi affectus medicamenta craſsiuſcule trita, ad jecoris tenuia, ad renum vero paſsiones tenuiora conveniant. Si affectus nobis in tribus propoſitis membris curandus offeratur: neceſſarium quidem erit medicamenta tenuius conterere. Quippe quum licet hoc modo lævigata non adeo propinquioribus membris conducant (quia non tantum in illis immorari poſſunt quantum opus eſſe conjicimus) ſi tamen craſſius trita propinarentur, nulla

ex

ex parte diſtantioribus membris juvarent, ut pote ad illa minime pertingentia. Videamus igitur quis trituræ modus unicuique ex præfatis trituræ ſcopis magis conveniat, & quis ex his potior ſit ac majoris momenti. Sane quanti momenti ſit tritura juvare medicamenta, ut mèlius à ventriculi calore in actum reducantur, & quantum ad illorum, quam vocant, actuationem conducat tenujor ipſorum lævigatio, manifeſtius eſt quam ut probatione ulla indigeat. Similiter haud parvi momenti eſt ille trituræ ſcopus quo malignorum medicamentorum vim maleficam corrigere conamur. Hæc autem correctio duobus modis intelligi poteſt: nempe, vel in medicamento per ſe ſolo exhibendo, de quo non eſt hic propoſitum agere: vel ſi illud cum aliis commiſtum eſſet aſſumendum. Et hoc rurſus bifariam fieri poteſt: nempe, ſi per ſolam proprii medicamenti trituram ejus malitia mitigetur corrigaturve abunde, aut ſi intercedente ipſa tritura commiſceatur medicamentum malignum, cum aliis quæ ejus melignitatem corrigere goſſint. Prioris correctionis exemplum attulit Meſues. in colocynthide, admonens eam tenuius tritam meliorem reddi, pluſque è ſua ma-

ligni-

lignitate amittere. Neque aliquod usquam malignum medicamentum consuluit aliquis terendum crasse, ut malefica ejus vis corrigeretur, præterquam unus Serapio, qui turbit ac scammonium, ut & ipsam colocynthidem, contra reliquos omnes auctores, non esse exactius terenda admonet, falsa illa sua imaginatione deceptus, quod lævissime trita, stomachi villis ad hærerent. Quum potius eademmet causa ne stomachi villis adhæreat, terendam tenuissime ipsam colocynthidem præcipiat Mesues, citans in eo ipsum Serapionis filium: ut non immerito quis suspicari possit mendam fortasse aliquam esse in Serapionis codice. Alterius autem correctionis modus quo medicamenti malitia aliorum benigniorum medicamentorum mistura emendatur, cum ab ipsa mistione pendeat, idem trituræ modus, quem mistioni magis convenire ostendero, eisdem similiter conducet. Novam etiam in aliquo medicamento facultatem acquirere, ubi opus fuerit, magni est momenti. Sed neque hoc est semper necessarium, neque in omnibus medicamentis id ex trituræ varietate assequi possumus. In diospolitico quidem, rhabarbaro, ac nonnullis aliis id observatur, quod crassiuscule trita expurgan-

gantem tantum, aut magis expurgantem: tenuiter vero lævigata minus expurgantem: aut diureticam tantum facultatem obtineant. Quod autem hoc minime contingat in plærisque expurgantibus medicamentis, immo in nullo ex malignis ac valenter expurgãtibus: nulli non constabit, si singula ipsorum valide expurgantium medicamentorum percurramus. Primo enim colocynthidem melius ac innocentius expurgandi causa mollissime terere ab omnibus medicis jubemur, nemo autem eam quamvis tenuissime lævigatam urinas movere hactenus annotavit. Elleborus vero tantum ab est ut crassius tritus magis expurget quam tenuiter lævigatus, quod contrarium omnino ab antiquis auctoribus observatum reperiatur, nempe, quo tenujus tritum fuerit eo validius expurgare. Idque *a* Ætius prudenter insinuat, exhibens de ejus ramentis ad furfurum magnitudinem concisis, drachmas duas & semis, de pulvillo vero ejusdem drachmam tantum unam & obolos duos. Idem quoque ex *b* Paulo colligitur qui ellebori radices ad sesami magnitudinem dissectas in potu exhibet, nam in tenuissimum redactæ pollinem virium efficacia stran-

a *Tetr. 1. ser. 3. cap. 131.* b *Lib. 7. cap. 10.*

ſtrangulationes parere admonet. De lathyride ſimiliter manifeſte conſtat ex eodem *a* Paulo, ejus grana quo tenuius contrita propinentur, eo valentius purgare. Ita enim de his ſcribit: lathyrides bilem purgant ſicut veratrum & ſcammonium. Offerens igitur, ſeptem octove & uſque ad quindecim, Robuſtis ſane & qui liberaliori indigent purgatione manducare præcipe: imbecillioribus & malo præditis ſtomacho integras ipſas devorare. De ſcammonio quoque nemo uſquam animadvertit neque experimento unquam compertum eſt expurgantem ejus facultatem ex tenui lævigatione diureticam reddi. Immo ipſe Pharmacopœorum dux Nicolaus, in pillulis ſine quibus, præcipit bene tritum & cum ſucco fœniculi per pannum expreſſum admiſceri, Turbit etiam læviſſime terunt *b* multi in compoſitionibus, & *c* Serapio illud in magnis antidotis (qualia ſunt quæ fermentationem perfectam recipiunt) tenuiſſime terendum tradit,

a Lib.7. cap. 4. b *Antonius Muſa in exam. pil. aggreg. omnes in ſeis pulveres ſubtiliſſimos fore admonet: & de turbit ac colocynthide ſpeciatim aſſerit in pulverem ſubtiliſſimum eſſe redigenda. Fernelius quoque lib. ſuæ metho. 7. in diaphanico turpethum tenuiſſime tritum inſpergit.* c Tract. de ſimplic. cap. 330. de turbit.

tradit, & similirer ubicumque viscidam pituitam purgare oporteat. Neque id ut inepte dictum in eo redarguitur: sed ratio causave, quam ille ejus effectus attulit, improbatur: quod, nimirum, tenuius tritum pituitæ adhæreat. Quod autem eodem loco dixerit, quod si exhibendum esset in medicinis laxativis, cribretur cum cribro rato, ut sit in eo aliqua grossities ne adhæreat villis stomachi: hujusmodi erratum in plerisque omnibus valentius expurgantibus medicamentis (ut jam advertimus) notabitur. Ita enim de colocynthide *a* dixerat, quod non multum teratur, ne adhæreat intestinis & ulceret ea: & de *b* scammonio, quod non debet multum teri ne adhæreat stomacho & noceat ei multum. Nec vero ille in hoc deceptus est, quod lævissime trita cathartica medicamenta minus expurgare existimaret. Quin potius quod ita magis juxta ejus sententiam expurgarent, aperte ex iis colligitur quæ ipse de *c* aloe scripsit, quod (nimirum) si subtiliter teratur adhæret villis stomachi, & hoc modo plus purgat. Porro verum hoc esse in universum, ac non solum de medicamentis præfatis, sed & de quibuslibet aliis valenter expurgantibus statui

a *Cap. 282.* b *Cap. 303.* c *Cap. 201.*

ſtatui poſſe, non modo ex ſubtili eorum lævigatione vim ſuam per aluum purgandi non amittere, ſed eo magis aut ſaltem violentius expurgatura quo tenuius trita fuerint, ratione ipſa convinci videtur. Quippequum ut facilius eſt impleri potu quam cibo, ſic quanto tenuius lævigata aut etiam liquidiora fuerint medicamenta, tanto melius ac perfectius (ut loqui ſolent) actuentur, cæleriuſque in corpus rapiantur, & latius ſeſe diffundant, anguſtoſque partium meatus penetrent: quas ita citius quidem ac vehementius afficiunt. Unde ſi hoc modo lævigata propinentur ſola expurgantia maligna, magis quidem eorum vaporibus atque etiam aliquanta tenuioris eorum ſubſtantiæ portione partes principes ferientur ac vellicabuntur: evenietque ut ex majori horum impetu & efficientia cumulatius ſucci alliciantur ac trahantur, majorque inde, aut ſi in aliquibus non major, violentior ſaltem ex nimia eorum commotione, conſequatur purgatio. Vnde non injuria ſuſpectum eſſe debet quod Ioubertus in ſua Pharmaceutica, communi Pharmacopolarum ac vulgarium medicorum errore ductus, ſcripſit, trituram craſſiorem omnibus fere catharticis convenire, quippe quum

quum tardius meant vehementius agant. Atque ſapientius ille quidem *a* lib. ſuorum paradoxorum dixerat, tenujorem trituram multũ conferre ad actionem medicamentorum tum faciliorem, tum evidentiorem. Minus vero ferendum quod Ferdinandus *b* Mena dixit, quod quanto in majores partes effractum fuerit purgans medicamentum, tanto fælicius tractionem ſuam in ventriculum perficiet: dummodo nõ præpediat quam vocant actuationem. At verius quidem dixerat *c* Antonius muſa, de Pharmacopœorum dubio prudenter ſtatuens, an ſcammonium pillulis ingredi debeat in tenuiſsimum pulverem vel in craſſum redactum: Quod ſi quis ſcammonium in pulverem redactum, & nulli cõpoſitioni miſtum, ſed vel ex vino vel jure inſumeret, gravia forte ſymptomata pateretur. At cum in pillulas conformatur, multa commiſta habet, & in tota compoſitione non eſt amplius pulvis, ſed craſsius quoddam corpus. Et cum ventriculi calore eliquatur, in pulverẽ non educitur, ſed in ſubſtantiam quandam liquidam. Atque ita doctiſsimus medicus *d* Ioannes Fernelius afferere non dubitavit pillularum drachmam unam li-

quore

a *Lib. 1. parad. 1.* b *In ſuis comment. in Gal lib. quos quibus & quando purg. oport.* c *In examine pil. ſine unibus.* *Lib. 4. meth. cap. 14.*

quore solutam non minus purgaturã quam duriorum duas & *a* Andernacus quidẽ suis scriptis cavet, ne scammonium ex jure aliquo, aut in catapotia redactum, cum jusculis præbeatur. Sic enim perniciem potius quam sanitatem ad ferre solet. Quod ille ex *b* Amato accepisse videtur, qui scammonium aut pillulas, juribus eliquatas, in potu exhiberi magnis obsecrationibus vetat. quippe quũ inde multis mors subsequatur. Idq; non modo experimento comprobare, sed & *c* Actuarii auctoritate confirmare nititur, qui in hunc modum scripserat: scammonium vero non censeo juribus inserendum, quod experientia compertum est, id cũ ipsis conciliari non posse. In quo tamen advertendũ videtur non esse Actuarii mẽtem scammonium in aliquo humore exceptum nunquã simpliciter propinandũ esse: cum ipse *d* antea ubi de scammonio seorsim egisset, ita scriberet: datur per se ex melle vel ptisanæ cremore, quibus clam volumus hanc potionem præbere; sed illud tantum voluisse, quod in juribus, quorum illic meminit, exceptum non assumeretur, quoniam cum illis minime conciliari compe-risset. Attamen utcumq; explicetur Actuarius,

a *Lib. de medic. vet. & nova. comm. 2. dial. 5.* b *In suis comm. in Diosc. lib. 4. cap. de scammonio.* c *Lib. de medic. compos.* d *Eodem libro.*

rius, ex Fernelii quidem, & aliorum quos citavimus, ſententia manifeſtum fit ſcammonium per ſe, liquore aliquo exceptum vel ſolutum, magis quidem aut ſaltem violentius purgaturum, quam in catapotiis exhibitum. Id quod etiam unumquemque periculum facientem experientia ipſa comprobaturum cum præfatis auctoribus arbitramur. Quod vero de reliquis valenter expurgantibus ſit idem ſentiendum: ut ratione eadem convincitur, ita experimento quoque perinde ac in ſcammonio eventurum minime dubitamus. Quod ſi aliquis contra Fernelii & aliorum doctiſſimorum hominum ſententiam contendat, medicamenta nulla, tenujus, lævigata magis expurgare quam craſſiuſcule trita, atque maligna illa medicamenta ex nimia eorum lævigatione facilius in ventriculo actuationem vocatam ſuſcipientia, indeque celerius in corporis partes rapta & penitus earum meatus ſubeuntia, humores potius commovere quam vacuare etiam ſi contrarium in pleriſque ipſa atteſtetur experientia, & in pauciſſimis illud quidem contingat: nihilominus idipſum tanquam verum eis in omnibus etiam concedemus, utpote aſſertioni noſtræ nihil officiens, dummodo nobis, id quod neutiquam in-

ficiari

ficiari poterunt, concedant, illa eadem medicamenta, quæ sua nimia ac violenta tractione humores commoverunt & non vacuarunt, eos quidem per urinas nunquam vacuasse: atque in illa maxima humorum agitatione, ubicunque contigerit, multo minus quidem per vesicam quam per aluum successuram vacuationem. Sed ut eo unde digressus sum revertar, quamquam in aliquibus medicamentis magni momenti sit ad diversas facultates exercendas eorum tritura crassior aut tenuior: id tamen in omnibus non contingit. Quod vero dixit Galenus de diospolitici tritura agens, ejusmodi præcepti in omnium medicamentorum compositione meminisse expedire: id quidem nihil nobis adversatur, ut nostri credunt Pharmacopœi. Siquidem non vult illic Galenus pro præcepto universali censeri (ut ipsi inepte interpretantur) quod medicamenta quæcunque crassius trita aluum ducant, tenujus trita urinam moveant. Neque enim de diacalaminthes medicamento, de quo tunc agebat, & cujus gratia diospolitici meminit, aliquid tale protulit. Sed illud dumtaxat pro præcepto universali observari commendat, quod proxime præcedentibus verbis admonuerat, tenujus trita in

totum corporis habitum maxime digeri : è diverſo autem craſsius trita, in ventre hærere, ut quæ tenues venas ac corporis meatus ſubire nequeant. Atque hinc fieri ut medicamentum dioſpoliticon craſsius tritum dejiciat aluum, minutiſsime vero lævigatum urinas moveat. Et ſimiliter quæcunqne medicamenta duplici ſint facultate prædita, tum aluum ſolvente tum urinas ciente, ſi in ſubtilem pollinem redigantur, cum in ventriculo moram non faciant, pervadentia corpus, per urinas, menſes, aut ſudores, potius quam per ſeceſſum, excrementa detrudant. Atque hic eſt verus Galeni in præfato loco ſenſus. Non quod ille tam abſurdam unquam ſententiam ſomniaverit, quæcumque per aluum dejectoriam facultatem habeant, tenujus contrita eam amittere ac diureticam acquirere. Quum potius in valide expurgantibus medicamentis dejectoria eorum vis per tenuiſsimam trituram non modo non deperdatur, ſed validior multo (ut abunde jam oſtenſum eſt) reddatur : ex reliquis vero expurgantibus paucisſima admodum ſint, in quibus hoc contingere poſsit. Adeo autem hujuſcemodi facultatum tranſmutationem parvi pendit Galenus in expurgantibus omnibus medicamentis,

mentis, ut vel in hiera ipsa ab Andromacho ad stomachicos composita, præcipiat a lib. 8. de comp. Pharm. sec. loc. omnia ex quibus componitur, nempe, junci odorati flores, xylabolsamum, mastichem, crocum, nardum indicam, asarum, cinnamomum, & aloem, ὁμοῦ λεάνας, id est, simul lævigata reponi: non contentus dicere τρίψας, quod proprie significat trita, ut b λεάνας tenuiter trita. Tametsi Cornarius haud satis apte in hoc, ut nec in multis aliis hujus libri locis, trita tantum verterit. Ex quibus jam evidentissime constat in expurgantibus medicamentis non tanti momenti esse illum trituræ scopum, quo novam aliquam facultatem medicamento acquiri proponitur, quam aliorum, cujusque non sit major ratio habenda. Quod idem quoque de ea trituræ indicatione, quæ à parte affecta aut loco

Dd 2 desu-

a *Cap. 2.* b *λεαίνω enim vel λειαίνω, ut & λειόω, correspondet verbo latino lævo seu lævigo. Quod ut proprie significat idem quod complano seu polio, ita etiam designat idem quod tenuiter tero. Atque ita quando vocibus λεαίνω vel λειαίνω aut λειόω exprimitur id quod designat molo aut tero, oportebit accipere eam nolituram aut trituram, tenuem, qualem exprimit verbum lævigo. Vt voces illæ Græce id ipsum significent quod λειοτριβέω, seu λεπτὸν τρίβειν.*

desumitur, similiter intelligetur. Reliquum jam est ut de eo trituræ scopo agam, quo medicamenta melius commiscere studemus. Quod quidem reliquis omnibus scopis præferri debere, ac tenuissimam omnium trituram exposcere, sic ostendam. Compositorum medicamentorum triplex est genus. Unum, in quo, quæ à medicis fermentatio dicitur, spectatur, nimirum, mutua facultatum simplicium medicamentorum, compositum ingredientium, actio & passio à philosophis appellata, eo usque procedens, quoad alia tertia ex omnibus in ipso composito confletur facultas. Cujusmodi medicamentum est vere mistum arte factum: qualia sunt antidota illa magna à veteribus composita: theriaca, Mytridatium, aurea Alexandria, & alia similia: sic & electaria dicta, & aliæ quæcunque compositiones, in quibus vel liquida tantum, vel liquida cum siccis arte ac caloris ope convenienter permiscentur. Alterum est eorum, quæ etsi ita commode misceri nequeant ut perfectam fermentationem, quam exigunt perfecte mixta, consequantur, arte tamen ita componuntur ut diutius servata, mistionis rationem adumbrent, & quodammodo fermentationem aliquam recipiant:
quæ

quæ etsi non sit illa vera actio & passio facultatum medicamentorum simplicium, ipsum compositum constituentium, qua ex iisdem, licet diversa potentibus, una tamen facultas consurgat, ut dixit a Mesues: nihilominus potentiorum medicamentorum vires, quadamtenus aliorum eis ad mistorum consortio ac concursione, per fringuntur. De qua fermentatione intelligebat b Fernelius, quum monuit pillularum misturam initio molliusculam esse debere, ut simplicium concursione, fermentatio proba fieret. Hujus etenim generis medicamenta sunt ea, quæ in officinis pillularum forma vel alia simili parantur. Tertium autem compositorum medicamentorum genus est eorum, in quibus nulla prorsus fermentatio spectatur: cujus generis sunt pulveres omnes ex rebus siccis constantes; citra ullam rei alicujus humidæ misturam. Quod itaque in compositis omnibus medicamentis, quæ vere mista sunt, ac exactam fermentationem suscipiunt, potissima sit habenda ratio hujus scopi, quo medicamenta melius commiscere intendimus, & quod ut exactius misceantur medicamenta, in exquisitum lævorem trita esse oporteat, ex ipsa

a *In suis cannon. universal.* b *Lib. 4. meth. cap. 5.*

mistionis natura ac ratione constat. Potissimum enim in mistione propositũ est, ut omnia simplicia quæ commiscentur, in unitatem coëant (ut inquit *a* Actuarius) quo maxime se invicem afficiant, & tandem ex mutua illorum actione & passione una in composito (ut dixi) facultas emergat. Et siquidem mistio nihil aliud (ut nos docuit *b* Aristoteles) quam mistilium alteratorum unio. Sed quo subtilius in lævissimum pulverem comminuta illa fuerint, cum partibus suis minimis se mutuo contingant, promptius & valentius id efficient. Igitur nihil æque ejusmodi mistioni conducere valebit, atque ipsa siccorum simplicium in mollissimum pulverem lævigatio: nec contra aliud magis eidem obstabit, quam illorum crassior tritura. Atque ita dixerat *c* Galenus nihil per totum cum alio posse commisceri, nisi prius in partes exiguas fuerit comminutum Quoniam vero ab omnibus receptum est, perfectam fermentationom electariis inesse, ac vere mista, per artem facta, dici illa posse: necessario jam consequitur, medicamenta sicca, illa ingredientia, quæ in pulverem

a *Lib. de medic. compos. prope initium.* b *Lib.1. de gener. & cor. cap. ultimo.* c *Lib.12. de usu part. cap 3.*

verem redigere ipſorum mandant auctores, terenda cuncta eſſe læviſsime. Id quod etiam teſtatur Nicolaus ille Alexandrinus vetuſtior, cujus perſonam induit apud Pharmacopœos Salernitanus Nicolaus, in proemio ſui antidotarii ita ſcribens: pulveris autem cribratio duobus modis fieri debet. Nam in electariis ſubtiliſsime cribari debet: in aliis vero medicinis craſsius, maxime in laxativis. Vnde in hoc ſaltem culpa ſe excuſare noſtri Pharmacopœi nequeunt, quod contra ſui Nicolai oraculum in electariis medicamenta, expurgantia craſſo modo terant. Quod vero ſimiliter ſint ſubtiliter terendi pulveres in ſecundo compoſitorum genere, quæ licet vere miſta dici nequeant, aliquam tamen fermentationẽ ſuſcipiunt, ut pillulæ, ſi ejuſmodi compoſitiones ingrediantur expurgantia aliqua medicamenta ex malignis ac valide purgantibus, inde etiam evincitur, quod ex lævi trituratione, juxta ejus tertium ſcopum á Meſue commendatum, malitia expurgantium haud parum ſubducitur ac aboletur. Deinde ut illorum malitia, aliorum ſibi adjunctorum freno, compeſcatur: Neceſſarium omnino eſt, ut omnes eorum particulæ cum aliorum particulis quam minutiſſime

fieri possit divisis, se invicem contingant (perinde ac dixi necessarium esse in vera mistione) ut eorū malefica vis à benigniorum miscella ac cōsortio, comprimatur, & promptius in agendo ac patiendo cuncta veluti fermententur. Quî enim quæso in scāmonio vel turbit, quod in pillulis, post earum cōpositionis annū, majus milio aut sesamo reperitur, tale omnino quale servatur in pixide, correctio aliqua aut repressio eorum malignæ facultatis sperari poterit. Quum ut hoc fieri possit, oporteat omnia sibi ad ipsorū malitiam cōpescendam cōmista eo usq; permisceri ac confundi, dum ex mutua eorū qualitatū actione, substantiarum quædā fit æquabilitas & æquabilis omnium unitas. Verum enim vero quamquam expurgantia illa maligna, pillulas ingredientia, correcta antea fuissent, ut si scāmonium in cytonio malo coctum prius esset: ne tunc quidē crassa illa tritura quæ inter pulverum terminos continetur, eis conveniret. Tantū abest, ut monstrosa illa, expurgantium medicamentorum contusio, à nostris Pharmacopœis in pillulis usitata ferri ullo modo possit. Quis enim ex ejusmodi tritura eam nō pertimescet in medicamentis purgandis anomaliam, quā Hippocrates & Galenus Cane pejus & Angue (uti

(ut dicitur) vitandum semper docuerunt. Deinde nisi pillularum massa pro singulis dosibus conficiatur, quo ingenio aut arte consequi poterit, quin in una dosi plurimũ, in alia vero parum aut nihil validi expurgantis ingrediatur. Quod quantum incommodum sit nemo non videt. Atq; idcirco medicamenta talia, si non tenuissime lævigata, saltem adeo tenuiter trita esse oportebit, ut æqualiter omnia cõmisceri possint, nec in una dosi plus reperiatur ex aliquo præfatorũ, valide expurgantium, quam in alia. Ejusmodi autem trituram nõ modo in scãmonio correcto, sed & in non correcto, ac aliis etiam valide expurgantibus concedimus, ne nimium morosi, nonnullis viris doctis hoc ita decernentibus, videamur. Quod si pillulæ aut alia quæcunq; secundi generis cõposita medicamenta, quæ ad expurgandũ in forma solida solent exhiberi, ex benignioribus sint composita medicamentis, citra maligni alicujus medicamenti misturam: tunc quidem quæ inter ea adeo tenui ac superficiaria sint prædita substãtia, ut ex nimia tritura eorum vires exolui ac dissipari posse timeamus, hac tantum ratione non esse subtiliter lævigranda censerẽ: non autem ea quæ vulgo dici solẽt, ut ex majori in ventriculo mora fœlicior succe-

dat purgatio. Quippe forma solida, qua exhibentur talia pharmaca vicem crassissimæ trituræ gerit; majorque ex hoc modo exhibito medicamento, mora in stomacho sperari potest, quam si crasse tritum & jure aliquo exceptum in potu propinetur. Atque ita aperte constat nihil omnino in hujusmodi medicamentis compositis impedire tenuissimam trituram eorum quæ haud omnino superficiariam sortita sint substantiam: tenuem vero eorum, quorum substantia adeo lævissimam trituram non sustineat. Immo etiam vel in his maxime procurari debere, ut quantum eorum substantiæ natura permittat, tenujor sit tritura, ut melius quoad id fieri possit omnia simul misceantur, atque ita eam fermentationem consequi valeant, quam ipsius compositionis modus suscipere queat. Cui ètiam adde Galeni auctoritatem, cui uni contra omnium aliter sententium turbam abunde satis ponderis esse debet. Is *a* enim in

a Vt lib. 7. de comp. Phar. sec. lo. c. 5. in catapotio concoctorio ex libris Perigenis ad tussim & destillationem, præcipiens res ejus compositionis siccas λεάνας, i. lævigatas excipere. & in catapotio alio ad omnem tussim & fluxionem & abscessus internos ex Apollonio, ubi sicca quoque λεῖα, quod similiter lævigata significat, aqua excipere jubet. Quibus in locis, ut & in aliis multis Ianus Cornar. λεάνας & λεῖα minus quidem proprie (ut jam advertimus) vertit trita.

in ſuis de compoſit. Pharmacor. lib. ubi catapotiorum & ſimilium compoſitionum meminit, ſicca omnia, ex quibus componuntur, tenuiter lævigare mandat. At enim ſi medicamenta componenda, in pulverum forma ſervanda ſint, quale eſſe dixi tertium compoſitorum medicamentorum genus: tunc omnia craſſiuſcule terenda exiſtimarem, ubi ad ventriculi aut partium ei vicinarum curandos aliquos affectus, eadem exhibere opus fuerit: quoniam hoc modo trita, majorem in ventriculo moram facientia, fœlicius ac plenius actiones ſuas abſolvent; ut è diverſo ſi affectus curandus fuerit in aliquo ex remotioribus à ventriculo membris, tenujus erunt juxta Galeni præceptum lævigeanda. Demum ſi ex valentioribus illis ac malignioribus catharticis aliquod ſolum per ſe in pulveres redactum propinare conveniat, craſſius quidem tritum exhibendum cenſerem: nec modo id craſſe tritum, ſed in forma ſolidiori commodius multo exhibebitur. Ita enim & innocentius purgabit, & majorem moram in ventriculo faciens à remotioribus partibus ſuccos expurgandos trahet. Nam quemadmodum compoſita medicamenta in pillularum aut alia ſolida forma exhibita, ob majorem quam faciunt

ciunt in ventriculo, moram ex remotioribus corporis partibus ſuccos trahent, quam ſi liquidiori alia forma ſint aſſumpta: ita & eadē ſimiliter ratione maligna expurgantia ſimplicia, quia quo craſsius fuerint trita eo majorem in ventriculo morā contrahent, ipſius quidem moræ ratione è remotioribus partibus humores elicient. Quanquam alioqui non tanta copia eos trahent atque evacuabunt, quam ſi eadem tenuius contrita exhiberentur. Vt enim antea à me oſtenſum eſt, ejuſmodi valenter expurgantia medicamenta efficacius quidem trahunt & evacuant, tenuiter comminuta, quam craſſius tuſa aut integra devorata. Nec vero alicui diſſonum aut à ratione alienum videatur, quod hujuſmodi medicamenta in ſolidiori forma vel craſſiori trituratione exhibita, à remotioribus partibus, ſed minus, trahant & evacuent humores, quam ſi liquidiori propinentur forma, vel tenuius lævigata: Quum fere idem in igne eveniat, qui panes quos moderatus exiſtens in furno exacte tam interius quam exterius concoquit: nimium contra accenſus, illos inflammans, exterius adurit, interius vero percoquit: & ſimiliter carnium in veru externas quidem partes exurit, intimas autem crudas relinquit. Quoniam itaque

itaq; medicamentum valenter expurgans, tenuiter tritum, atque in jure aliquo dilutū, melius ventriculi calore elaboratur, quam solidiori forma devoratum, & iccirco magis ad suas opere exprimendas facultates suscitatur ac promovetur, & perfectius (ut dici solet) actuatur: suis quidem integris viribus potentius redditū, tanquam solutis habenis, tum substātia ejus tenui in corpus pervadente, tum vaporibus largius ex ventriculo transmissis, humores cunctos valenter ad ipsum ventriculum a intestina convehit, & partes circumvicinas vellicās humores quoscunq; obvios confertim deturbat, simulq; cum illis educitur, antequam ad remotiora permanere possit. Quippe quum liquidius existens, facilius à natura, ejus violentiam ac furorem aversata, succisq; ab eo atrractis irritata, cum iisdem per alvum detrudatur. Atq; hoc sane modo & cum hisce à me præfinitis limitibus ac cautiunculis intelligendos credo omnes bonos auctores, quicunq; expurgantia Pharmaca, crasso modo trita, exhibenda scripserūt. Et Silvium, quum scammonium in catapotiis esse crassius terendū præcipit, vel amice interpretandum, ut in multis aliis suis scriptis interpretari oportuit: vel ejus opinionem uti falsā, ac rationi & doctiorū auctoritatibus

bus repugnantem rejiciendam. Quæ tamen amice explicari poterit, si dicamus per crassius intelligere minus subtile, quam in reliquis compositionibus: vel si scammonium in ipsis catapotiis esset in succo aliquo solvendum, ut fit in pillulis sine quibus & de fumaria: aut cum ipsum scammonium est incoquendum, uti sese interpretatus est ipse in iis quæ antea ex illo citavi. Quo etiã modo intelligit Ioubertus in sua Pharmac. in annotation. in elect. è succo rosar. Nico. ita inquiens: porro crassiuscule tritum esse volunt scammonium. Quod admitto si fuerit coquendum, aut calidissimo syrupo permiscendum, quo dissolvatur exacte. Alias tenuissime pulverari debet, ut exactius permisceatur. Nec lævigatio exacta nocet, ubi coctionem ferre non debet. Qui enim scribunt hoc crasso modo teri debere, supponunt esse coquendum cytonio malo, vel aliter. Sed qui hanc opinionem tueri student, rursus mihi objicient, tum ex Mesue, tum ex aliorum doctissimorum medicorum sententia, non omnia medicamenta uniformiter terenda: sed quæ ex illis vim in substantia tenui ac superficiaria sitam sortiunrur, crassiuscule & minus accurate terenda esse: ut flores & aromata, quorum nimis attenuatorum

vis

vis facile dispercitur: quæ autem vim & facultatem in substantia crassa positam obtinent, tenuissime & in exquisitum lævorem terenda. Atque ex expurgantibus medicamentis nonnulla vim superficiariam habere, quæ magnam trituram minime ferant: ex quibus unum est scammonium, cujus præcipue causa quæstio hæc orta est. Nam de illo scribens *a* Mesues, ita ait: & ipsum de trituratione modicum sustinet, qua propter oportet ut in ejus contritione non nimium insistatur. Et de tritura in universum agens, ita *b* scribit: sunt quædam quorum virtus cito tollitur: ut sunt debilis texturæ: & hujusmodi non multa indigens trituratione: sicut scammonia Antiochena bona, verum in grossa expedit ut plus in triturando insistas. Omnia enim quanto plus vel minus sunt grossa vel subtilia, tanto plus vel minus opera triturationis indigent. Similiter autem Avicenna multam scammonii trituram videtur damnare, ita *c* scribens: & ex medicinis sunt quædam quarum virtus propter contritionem destruitur, sicut scammonia. Quare oportet ut ultima facilitate

a *Cap. proprio de scammonia.* b *In canonibus universalibus. capit. de tritura.* c *Lib. tritura 1. cap. 5.*

cilitate conteratur, ne ex contritione caliditas eam consequatur, corrumpens ejus virtutem. Præterea, quum non modo juxta Mesuæ, sed & juxta Galeni præceptũ, nobis quoque receptum, in illo de diospolitico exemplo, ea medicamenta quæ in corpus altius penetrare studeamus, in tenuissimum pollinem terere oporteat: contra vero negligentius, quæ moram in ventriculo aut ei vicinioribus partibus facere velimus: Atq; ex expurgantibus medicamẽtis quædam etiam sint quæ ex nimia lævigatione expurgandi facultatem, quam crassiusculę trita possidebant, amittant, aliamque novam per urinas movendi acquirant: ut in Rhabarbaro concessi: Quo nam pacto ego hic omnia tenuissime terenda esse cõtendo? Pro quibus objectionibus dissolvendis, animadvertendum est, quod alii etiam ante me tradidere, duos esse terendi medicamenta modos: alterum quo medicamenta aliqua valido pistilli ictu tundi oporteat, alia vero clementer friare conveniat ducto per mortarium molliter pistillo. Alterum, quo rursus alia medicamenta diutius, ut pote, trituram longam sustinentia: alia vero parũ diu, ut pote eam brevem exigentia, teri oporteat. Animadvertendum etiam quod ex medicamentis alia

alia ſunt quæ ut in ſubtiliſſimũ pulverem cõminui poſſint, tum valenter tum diutius teri expoſtulant: alia contra, quæ nec longiorem, nec validam trituram ſuſtinentia, parum diu ac clementer friare expediat, etiam ſi in tenuiſſimum pollinem redigenda forent. Alia quæ longiuſculam trituram ſuſtinentia, validum tamen piſtilli ictum non ferunt: & è diverſo alia quæ piſtilli ictum ferentia, longam tamen trituræ moram minime ſuſtineant. Quamquam vero medicamenta ea quæ validã & longiorem trituram, aut alterutrum non ſuſtinent, ſi contra trituræ ſuæ ſubſtantiæ cõgruentem modum, citra ullam artis cautionem, molliſſime lævigentur, quam plurimum ex ſubſtantia ipſorum tenui & ſuis viribus amittant. Nihilominus falſiſſimũ eſt quod nonnulli credunt aliquod poſſe dari medicamentum, quod neutiquam molliſſime lævigari poſſit, quin contra ſubſtantiæ ſuæ exigentiam teratur: unde ſi ejuſmodi medicamentum lævigetur in tenuiſſimũ pulverem, neceſſario ejus tenuem ſubſtantiam difflari vel vires deperdi. Ita enim natura cõſtitutũ eſt, jugiter hæc inter ſe adeo conſentire, ut nullum ſit medicamentum quod validam ac longam triturã expoſcat, quin ut in leviſſimum pulverem redigatur, eadem

dem valida ac longa tritura indigeat: & contra nullum ex his quæ nec validam nec longam trituram ferunt, quin clementi pistilli plaga, ac brevi trituræ mora, in lævissimum pulverem reddi possit. Quod ex ipsa rerum natura ac constitutione manifesto consequitur. Quæcunque enim validam ac longam trituram sustinent, eadem sua natura substantiam crassam, densam & duram, aut lentam, lignosam, nervosam, aut membranosam, lapidosam, aut metallicam sortiri necesse est. Hæc autem eadem rebus omnibus conveniunt fractu contumacibus, & quæ longam ac validam trituram expostulant, ut tenuissime lævigari possint, quippe quæ vires suas validas in profundo sitas ac ægre solubiles obtineant. Similiter quæcunque neque longam, nec validam ferunt trituram, necessarium est substantia constare tenui, rara, friabilique, & quod vires imbecillas ac superficiarias obtineant: hæc autem eadem etiam conveniunt ac consentiunt cum iis quæ clementer tantum ac parum diu trita, facile in mollissimum pulverem lævigari queant. Porro id ipsum quoque ut ab omnibus receptum, ac ipsa rerum notione confirmatum asserit a Galenus, inquiens: tenujum

a *Lib. de simpl. med. fac. cap. 11.*

tenujum eſſe partium ea dici quæ facile in tenues partes comminuuntur: ſolidarum, craſſarumque partium, quæ contra: tum dura, viſcoſaque, ægre ac difficulter, aut non omnino, in tenues comminui poſſe: fragilia vero, & quæ citra viſcoſitatem mollia ſunt, prompte in tenues ſolvi. Neque vero inficior, medicamenta multa reperiri, quibus aliquantulum longiori aut minus clementi tritura, quam eorum ſubſtantiæ modus exigat, comminutis, facilius ac promptius eorum, vel ſubſtantia tenuis diffletur ac evolet, vel vis ac facultas exhaletur ac pereat, quam in aliis, eundem trituræ modum expoſcentibus, contingere poſſet. Immo etiam eſſe quæ tametſi convenienti ſuæ ipſorum ſubſiſtantiæ modo lævigentur: tamen adeo tenui, exolubili ac facile inflammabili ſubſtantia ſunt prædita, ut niſi maxima diligentia ac arte terantur, non parum ex illorum ſubſtantia ac viribus evaneſcat & reſolvatur. His ita expoſitis, faciliimum jam erit propoſita argumenta diluere. Quod enim dicunt medicamenta nonnulla eſſe, quæ ſubſtantiam tenuem ac ſuperficiariam ſortita, craſſiuſcule & minus accurate teri conveniat, quoniam nimis attenuatorum vis facile ac prompte diſperditur: partim quidem concedo,

cedo,

cedo,ac partim nego. Cocedo libenter,& affero etiam, veriſſimum eſſe quod multa ſint tenui ac ſuperficiaria ſubſtantia prædita, quæ nec longam nec validam trituram ſuſtineant: ſed quod inde conſequatur ea craſſiuſcule fore perpetuo terenda, quoniam eorum nimis attenuatorum vis facile diſperditur, id vero nego. Sed quæ ſunt ſubſtantia tenui prædita, per ſe ſola exhibita aut in pulveribus cum aliis commiſta, craſſiuſcule aut minus accurate terenda cenſentur optime. At in compoſitionibus iis, in quibus, vel vera miſtio contingit, vel aliqua fermentatio expectatur, ſubtiliſſime *a* omnia lævigari rationibus à me antea traditis omnino neceſſarium eſt. Neque timendum ne eorum nimis attenuatorum vis facile diſperdatur, quoniam quantuncumq; tenui ac inflammabili ſubſtantia ſint prædita, ſi juxta artis præcepta terantur, impoſſibile eſt ex eorum tenui tritura vires ſuas diſperdi. Quod Galeni præceptum univerſale ſit obſervandũ, quo in ventriculi aut ei vicinarum partium affectibus craſſius, ut in remotiorum ab eo partium curatione, tenujus ſint terenda medi-

a *Prater nonnulla ex validis ex purgantibus, & potiſſimum ſcammonium, quæ in pillulis & aliis compoſitionibus in quibus vera miſtio non contingit, minus ſubtiliter terenda conceditur.*

medicamenta, ego quoque affero & commendo: neque aliquid ei contradico cum in electariis aut pillulis omnia læviffime teri præcipio. Pillularum enim maffa, & electaria etiam ipfa, fi ad folidam formam reducantur, ut in bolo devorētur, majorem moram in ventriculo faciunt, quamvis omnia fimplicia, ex quibus compofita fuerint, fint molliffime lævigata, quam quivis pulveres perfe exhibiti. Quod autem de fcãmonio expreffis verbis fcribit Mefues, de trituratione modicum fuftinere: & ego de Rhabarbaro concedo, tenuiffime lævigatum urinas movere, craffius vero tritum-per ventrem expurgare. Hæc quidem tenujus cribrata nullum omnino negotium mihi faceffent. Si enim Mefues per verba illa à me citata fentire voluit fcammonium nullo modo fubtiliter lęvigari poffe, citra ejus virium diffolutionem ac jacturam: falfum id effe ex his quæ jam demonftravi apparet: atque jure optimo in eo à Manardo reprehenditur. Sin potius nihil ille tale intelligit, nifi tantum fcammonium longam trituram non ferre (ut ipfe fe-ipfum apertiffime declarat, cum fubdit: quare oportet ut in ejus contritione non nimium infiftarur) vel quod contufionem quæ violenta manuum pulfione

ne fiat non sustineat (ut Ioannes Costæus & alii docti viri interpretantur) argumentum sane ipsum evanidum, non auté scammonium, relinquitur. Adde quod Mesues ipse hoc de scāmonio Antiocheno & optimo dixerat, non auté de crasso ac deteriori, quale id omne est quod ad nos nunc affertur, de quo ita dixerat: verum in grossa scāmonea, expedit ut plus in triturādo insistas. Quod auté dixit Avicena destrui virtutem scammonii propter contritionem: ex ejus verbis statim subjunctis constat, per contritionem intelligere validam illam in triturando pistilli plagam: quam cum scammonium non sustinet, friari illud clementer oportet. Et hoc est quod ille dixit: ut ultima facilitate conteratur, ne ex contritione caliditas illud consequatur. Quod vero de Rhabarbaro concedo crassiuscule tritum per ventrem evacuare, tenujus vero, urinas movere: hoc quidem non est facultatem quam habet amittere, ac aliam novam acquirere. Siquidem una ac eadem facultas ejus est humores sibi cognatos expurgandi. Quos aut per aluū, aut per vesicam cum urinis juxta ejus trituræ modum pellit. Deinde cum urinas illud movere dicimus tenuiter lævigatum, intelligendum est, si illud solum aut cum

cum aliis in pulverem redactum in potu præberetur: at in electariis cum aliis simplicibus medicamentis mutuo unitum, ac solidiori forma propinatum, cum in ventriculo moram faciat, perinde ac si per se crasse tritum exhiberetur, per alvum magis quam per vesicam quocunque modo tritum evacuabit. Ut igitur me tandem recipiam, ac sententiam nostram in summam colligam, pro universali præcepto statuendum censeo, in omnibus medicamentis perfectam fermentationem recipientibus, perpetuo omnia trituram exigentia quam tenuissime lævigenda: in reliquis vero, si ex eorum genere sint quæ fermentationem aliquam tametsi non perfectam admittant, similiter omnia tenuissime terenda: præter ea quæ substantiam adeo tenuem ac exolubilem obtinuerint, ut tantam triturationem citra suarum virium jacturam sustinere nequeant: hæc enim haud ita lævissime, nisi quantum eorum substantiæ natura permittat, erunt tenuiter terenda. Expurgantia quoque, horum compositionem ingredientia, poterunt similiter haud omnino exquisite lævigari. Sin nulla omnino fermentatio in eis sperari possit, cujusmodi sunt pulveres: tunc habita ratione loci aut partis affectæ,

juxta

juxta Galeni præceptum, ad ſtomachi affectus craſſius, ad alios vero eo tenuius quo longius ab ſtomacho diſtiterint, erunt ipſi pulveres terendi. Quanquam ubi in illis expurgantia aliqua fuerint, de quibus hic potiſſimum agitur, ſi benigna illa ſint nihil omnino incōmodabis ſi juxta Galeni mentem etiam ad ſtomachi affectus tenuius terantur: niſi in quibus ob facultatem diureticam, quam ſimul cum ſolutiva obtinuerint, timeatur, ne humor per urinarum vias deducatur. Vt in Rhabarbaro. Hæc enim craſſiuſcule teri oportebit. Similiter ſi expurgantia ipſa maligna fuerint, ex quorum violentia, immodica expurgatio timeatur, craſsius erunt terenda in pulvere, una tantum doſi exhibendo: In pulvere autem pluribus doſibus propinando, ea inter craſſium & tenue mediocritate erunt terenda, ut æqualiter omnia miſceri poſſint, neque plus ex eis in una doſi quam in alia reperiri poſsit. Neque aliquid ab hoc præcepto deterrere nos debet formido illa à Pharmacopolis jam diu concepta, quod ea quæ ſunt tenui ac ſuperficiaria vel facile inflammabili ſubſtantia prædita medicamēta, ſubtiliſsime trita prompte difflentur, & evaneſcant ac vim amittant. Quum id arte præveniri poſsit: dummodo eam Pharmacopola,

copola, ut tenetur, exercere, ac sibi tradita præcepta omnia ad hujusmodi incommoda vitanda, observare studeat. Neque vero ad hoc tantum, sed ad ipsum trituræ opus peragendum, quamplurima extant præcepta. Qualia sunt in Rhabarbari tritura amygdalam aliquam aut cucurbitæ semen prius in mortario tundi: spicam, galangam, calamum aromaticum, cubebas, cassiam, schenantum, asarum, dictamnum, scammonium, ut & aloëm, colocynthidem, euphorbium, turbith, elleborum, & esulam, ac alia multa tam tenuis quam mediocris & crassæ substantiæ, olei rosacei guttula una vel altera commodissime teri. Sic Ambram & moscum vel aqua rosacea solvi, vel cum aliis sibi adjunctis pulveribus friari. Et similiter camphoram vel liquore aliquo quod proposito magis usui sit solvi, vel cum pulveribus aliis quibus permisceri præcipitur comminui: ut & castoreum & spicam. Ne autem tenujor medicamenti substantia pistilli plaga aut motione è mortario evolet, ac in auras evanascat, aut saltem ut id quam minimum sit, omni arte procurabit Pharmacopœus. Quam sane artem diligentissime exactissimeque nobis Critonis nomine tradidit Galenus *a* lib. de

a *Lib. I. in fine.*

 an-

antidotis. Sin vero in aliquo ex hujusmodi valenter expurgantibus medicamentis, in quibus maxime timetur ejusmodi difflatio ac exolutio, Pharmacopolæ ars aut diligentia non fuerit tanta, quin aliqua substantiæ aut virium ipsius medicamenti jactura contingat: eam parvi faciendam censemus, præ usu atque emolumento quod mollissima tritura, exactæ medicamentorum mistioni, affert: nimirum ut mutuo ipsa uniantur, Qua etiam ratione similiter Galeno parum curæ fuit, si ex tenuissima tritura medicamentorum, theriacam ingredientium, substantiæ eorum tenuis pars aliqua diffflueret. Adde quod in hisce, valenter expurgantibus, id quod diffluit ac exhalatur, dummodo perpaucum sit (ut eveniet, nisi omnino iners ac negligens sit Pharmacopœus) quodam modo correctionis vicem habet, siquidem cum eadem eorum tenuioris substantiæ ac virium etiam aliquantula jactura, plurimum etiam ipsorum violentiæ ac effrenis facultatis infringitur: ut in scammonio, turbit, colocynthide, & similibus, tenuissima tritura fit eorum malignitatis veluti frenum & quædam castigatio. Atque si hoc malitiei medicamentorum frenum, aliquantula eorum substantiæ

tiæ ac virium jactura, non ferunt Pharmacopœi: cur ſcammonii caſtigationem recipiunt, quæ fit ex ejus in citonio coctura. Quum manifeſtiſsimum ſit hoc modo correctum multo minus expurgare. Adde quod quantulumcumque eſſet damnum iſtud, leviſsimo tamen impendio, convenienti nimirum doſis medicamenti ipſius additiuncula, reſarciri poſſet. Quid enim quæſo intererit, ſi ex maſſa pillularum, cujus juſta idoneaque humori propoſito expurgando quantitas eſſet drachma una, põdere drachmæ unius & granorum quinque aut decem tibi exhibeatur? nonne multo plus ex cõpoſitorum doſibus, apud auctores præſcriptis, imminuere hactenus medici omnes quicumq; eas Hiſpanorum Pharmacopolarum drachmis expẽſas propinabant? quas iis quæ Romanis, Græcis, Latiniſque omnibus, atque adeo Arabibus auctoribus uſurpabantur, dimidio fere ſcriptulo leviores eſſe jam deprehendimus & convicimus. Ex quo fit ut quamquam ipſis medicamentorum doſibus nihil deinceps addatur ultra pondus id quod eis auctores præſcripſere, ſi juxta vulgaris noſtri marci pondera determinentur (ut determinanda ac ponderanda omnia eſſe medicamenta abunde oſtendiſſe videmur) multo quidem
 majo-

majoris momenti erit quod in ejuſmodi ponderum variatione uſurpatis hactenus doſibus accreſcet, quam quod ex ſcammonii aut alicujus ejuſmodi ſimplicis medicamenti exquiſitiſsima lævigatione in medicamentorum compoſitorum viribus deteri imminuique poſsit. Atque hæc de medicamentorum expurgantium tritura diſſerenda cenſebam.

LIBER

LIBER TERTIVS,

DE MEDICAMENTORVM COMPOSITORVM EXAMINE.

CAPVT I.

De Syruporum animadversione.

QVVM nostri instituti non sit, ut jam præfati sumus, Pharmacopœjam hic integram tradere, nisi viam tantum ad eam substernere, errores quibus in hac Pharmacopoliorum recognitione irretitos esse Pharmacopolas nostros comperimus, animadvertentes: Explosis duobus illis qui Pharmacopœos omnes non solum hujus civitatis, sed & universæ Hispaniæ male habebant: reliquum jam erit ut ad particula-

res, & in singulis compositis in officinis nostris asservari solitis, commissos, descendamus. Neque vero omnes percurremus, satius esse judicantes in multis continuare, quam omnia ad vivum resecantes simul cum zizania triticum eradicare. Neque etiam consilium hic nostrum est compositiones ipsas in trutinam revocare, atq; earum descriptiones ita reformare, ut (quod in multis opus esse ducimus) interdum aliquid in eis immutare audeamus (quum tamen id maxime nobis in animo sit facere in nostra Pharmacopœja, nunquam satis laudantes Fernelii in hoc judicium ac libertatem) sed ipsas singulorum medicamentorum descriptiones religiose tractantes, ubi dumtaxat librariorum forte interpretumve culpa errata aliqua in eis deprehenderimus, ab aliis etiam annotata, à suorum auctorum mente minime, quoad fieri possit, deviantes, emendare conabimur: & quod in eis obscurum, vel à nostris Pharmacopœis sinistre intellectum videbitur, exponemus. Quæ per ipsorum classes aliorum more examinantes, à syrupis qui primo sese offerunt exordiemur. Illud vero de eis in universum animadversione maxime dignum censemus, quod in omnibus officinis, eos palato potius, quam morbo-

rum

rum auxilio, paratos offendimus: idq; neque in scitia, neq; avaritia nostrorum Pharmacopœorum factum. Causantur enim omnes, Hispalẽsium ægrorum delicias, qui usque adeo sunt delicati, ut nisi syrupus visui & gustui sit gratus, & nihil præter saccharum depuratum referat, eum gustare nõ solum recusent, sed hac una ratione quod syrupus sapiat herbarum succos, aut aliquid aliud quo constet, damnent Pharmacopolam illum, & eo relicto alium quærãt: eumq; magnis encomiis extollant qui gratiora paret medicamenta: nihil prorsus de eorum utilitate, nisi de gustu tantum, curantes. Quanquam autem populus ipse tam insignium medicorum, quales hæc civitas alit, admonitionibus, brevi ut speramus, resipiscens, quæ vere laude digna fuerint laudabit: nihilominus nosttos Pharmacopœos exhortamur ne deinceps tempus in populari aura captanda potius, quã in arte probe perdiscenda ac exercenda insumant: atque syrupos omnes ex arte parantes, nihil eorum quæ in illorum descriptionibus cõtinentur prætermittant, sive insipidos, sive amaros, sive etiam horridos gustui futuros intelligãt. Quoniam vero serapia permulta, ut & complures aliæ cõpositorum medicamẽtorum species ex decoctionibus pa-

rantur: nobis quidem primo propositum fuit de ipsis decoctionibus latius agere, multáque in eis animadvertere, quæ à nullo alio doceri existimabamus. Quorum præcipuum illud erat quod in multiplicatione aut diminutione singularum decoctionum nemo usquam quonam pacto in eis servari deberet proportio, vere exponeret. Sed cum in libellum postea incidissem quendam Hispanica lingua à quodam Ludovico de Oviedo Matritensi Pharmacopœo, conscriptum: in quo vere quidem de ipsis proportionibus in decoctionibus observandis tradebatur: sententiam nostram de his latius differendi mutare, auctoremque illum, virum sane in sua arte satis peritum, nostris Pharmacopœis commendare, constituimus, ut juxta ejus præscripta omnes suas decoctiones parent. Vtque manifeste intelligant veram esse proportionum in decoctionibus servandarum doctrinam, quam vir ille insequitur, ut nimirum in omni decoctione minori aut majori copia à Pharmacopœo quam à suo auctore paranda, ea jugiter liquoris quantitas sit injicienda, è qua æqualis inter coquendum absumatur quantitas, ei, quam in sua decoctione consumi auctor præceperit, & præterea expetita juris decocti quan-

quantitas superſit: Nos id ſequenti exemplo exponemus. Sit propoſita aliqua decoctio ab aliquo auctore, in qua libræ duæ radicum in libris octo aquæ ad dimidias coquantur. Cujus tantum dimidium libeat conficere. Hoc Pharmacopœi omnes juxta ſuum vulgatum morem ita faciunt, ut libra una radicum in libris quatuor aquæ incoquatur ad dimidias. Atque hoc modo ſervatam eſſe credunt proportionem præfatæ integræ decoctionis ad ejus dimidium. In quo tamen non parum falluntur. Cum proportio illa quam ipſi ſervare credunt non modo non ſervetur, ſed neque ſervari debeat. Qui enim dimidium alicujus propoſiti decocti conficere ſtatuit, illud quidem in quantitate tantum, non autem in facultate aut viribus dimidiatum eſſe vult: ita ut decoctum ipſum dimidiatum quod in libris duabus remanſit, eadem omnino polleat facultate, quæ in libris totidem juris integri decocti contineretur. Vt autem hoc contingat, neceſſarium eſt ut eodem igne tantundem temporis conſumatur in dimidiata decoctione quantum in integra. Vnde etiam conſequetur tantundem aquæ conſumi debere in dimidiata decoctione quantum in integra. Quoniam itaque in propoſita hic integra

decoctione libras quatuor aquæ consumptas esse dicimus, in ejus autem dimidio, duæ tantum juxta vulgatum Pharmacopolarum morem, consummuntur (incoquuntur enim libræ quatuor aquæ ad dimidias) manifestum jam est dimidiatam istam decoctionē minime æquali facultate pollere posse, qua proposita ipsa integra decoctio, nisi multo minori. Ex quibus evidentissimum fit, quod licet eadem proportio quæ fuerit integri decocti ad ejus partē, sit servanda in medicamentis ipsam integram coctionem subeuntibus, ad medicamenta quæ ejus partem ingrediuntur, id tamen in liquore, in quo ipsa medicamēta incoquūtur, minime servari posse. Ut in proposito exemplo: quum integræ decoctionis jus libris constet quatuor, ad quas redactæ sunt libræ octo aquæ in libris duabus radicum incoctæ: si ejus juris decocti dimidiū conficere velimus, nempe, libras duas, accipietur quidem dimidium radicum ex quibus integra decoctio cōstabat, & erit libra una radicū, cujus proportio ad libras duas quæ integram decoctionē ingrediuntur est eadem quæ librarum duarum dimidiati juris decocti, ad libras quatuor integri juris decocti. Ex aqua vero minime accipiendum erit dimidium librarum octo, ex quibus inte-

integra decoctio cõfecta est, nisi libræ sex, ut consumptis libris quatuor (quot in integro decocto consumptæ esse dicuntur) relinquantur libræ duæ pro dimidiato decocto quæsito. Quomodo in ipsa aqua servatur proportio arithmetica inter integrum decoctum & ejus partem. Siquidem eadem quantitate excedunt libræ octo (ex quibus conficitur integra decoctio) libras quatuor quæ supersunt in integro decocto: qua in ejus dimidio libræ sex excedunt libras duas quæ supersunt in dimidiato decocto. Quod vero proportio hæc arithmetica similiter sit in liquoribus aliarum omnium decoctionum servanda, quæ in majori quantitate à Pharmacopœo, quam à suis auctoribus parentur, eodem quo attulimus exemplo manifestum fiet: Si enim præfatam decoctioné libeat Pharmacopœo duplare, juxta vulgatum moré accipiet libras quatuor radicum & in libris sexdecim aquæ incoquet ad dimidas. Quomodo consumerétur in ea decoctione libræ octo aquæ: Quum in proposito simplici decocto quatuor tantum consumptæ essent. Quare licet proportio geometrica sit quidem octo (quantitatis aquæ simplici auctoris decocto injectæ) ad quatuor (quantitatem juris ipsius simplicis decocti) sicut sexdecim (quantita-

tis scilicet aquæ duplatæ decoctioni injectæ) ad octo (videlicet, quantitatem juris dupli decocti) cum facultas in utroque decocto maxime varietur ex multo majori mora coctionis duplati decocti quam simplicis: proportio quidem arithmetica erit hic potius quærenda, in qua aqua duplatæ decoctioni injicienda eadem duplata decoctione superesse debet, qua in proposita simplici decoctione aqua in ea injecta ipsius superabat jus, quod peracta ejus coctione remansit. Hoc autem fiet, si pro duplata decoctione accipiantur libræ duodecim aquæ. Ita enim consumptis ex ejs libris quatuor, relinquentur octo. Quod erit duplum propositæ decoctionis. Atque in ea totidem libræ aquæ insumentur quot in ipso decocto simplici. Atque ita ex servata in eis proportione arithmetica, fiet ut eodem temporis spatio utraque conficiatur decoctio. cumque ambo in igne æquali fiant, necessario eadem & æquali omnino pollebunt facultate.

In Syrupum è succo citrii.

SYrupus ex acido citrii parandus erit juxta Mesuæ doctrinam in eum qui subsequitur modum: accipe *a* succi malorum citriorum acidi, libras duodecim. Coquatur in vase fictili vitreato igni prunarum lento ad tertiæ partis consumptionem: deinde residere sinatur dum clarescat. Tum id quod tenue est *b* sponte sua colo laneo transmittatur. Inde ejus succi clari libris septem affundatur sacchari albi expurgati & in julepum percocti libræ quinque. Et coquantur ad syrupi crassitudinem: aut si æstas fuerit, in sole dimittatur, donec ejus aquositas consumatur, quo incorruptus servari possit.

In Syrupum capillorum Veneris.

CVm variæ syrupi adianti seu capilli veneris descriptiones in officinis reperian-

a *Succus is debet esse ex acida parte mali citrii probe maturi extractus, per linteum solis manibus, non autem torcularis ope expressus, ne lentus aut viscidus sed purus evadat.* b *Sine expressione.*

periantur. Ex omnibus eam ſelegimus, quæ à Plateario mutuari ſolet, verum in eum qui ſequitur modum correctam. Accipe capilli veneris recentis & modice contuſi, libram unam. Cui affundantur aquæ calidæ, libræ tres. Et in eadem aqua maceretur horis duodecim. Quibus tranſactis, leviſſime coquatur dum ſemel ferveat. Deinde in jure expreſſo, atque adhuc calente, maceretur per totidem ſimiliter horas alia quoque libra capilli veneris recentis & contuſi: atque lento igne iterum ſemel ferveat. Et tandem juri, cum expreſſione colato, addantur ſachari albi libræ tres. Et percoquantur in ſyrupum.

In Syrupum de Papavere.

Syrupus de papavere Meſuæ non debet parari juxta formulam quæ in ejus reperitur codicibus: in qua duplex notatur error, unus librariorum, à multis jam caſtigatus, qui ſacchari & penidiorum ana uncias quatuor legunt, non autem ana drachmas quatuor, ut depravate in Meſue codicibus legebatur. Alter vero qui ipſius videtur eſſe auctoris, à nemine (quod ſciamus) hactenus animadverſus; imo quē pleroſq;

poſt

post illum sequutos deprehendimus: dimidium sacchari, & penidiorum pondus, aut etiam minus, papaveris decocto, immiscentes: Galeni auctoritate, cum Mesue fortassis deceptos, qui in suo a diacodio, mellis dimidiam mensuram, papaveris juri admiscendam præcipit. Quam quidem Galeni sententiam ipsos non esse assequutos cuilibet evidentissimum fiet, qui diversorum liquorum mensuras, cum eorundem ponderibus comparaverit. A multis enim doctis ac diligentibus viris certissimo experimento comprobatum est, vinum, aquā & alios similes liquores graviores esse oleo in sesquinona proportione, mel autem vino & reliquis similibus in proportione sesquialtera. Vnde si, juxta Galeni præscriptum, papaveris juri dimidia mellis mensura convenienter admisceatur, sane si papaveris decoctum libram unam cum dimidia ponderaverit, mel ei immiscendum, ut dimidiam decocti mēsurā compleat, oportebit ponderare uncias tredecim cum dimidie: atq; si decocti pondus fuerit librarum duarum, mellis pondus libræ unius cum dimidia fore conveniet. Quoniam vero ad consistētiam decocto acquirendam parum admo-

a *Lib. 7. de composit. medic. sec. lo. cap. 2. in confectione ex capitibus papaveris Galeni.*

admodum intereſt inter mel & ſaccarum ſeu penidia, neceſſarium eſſe conſequitur, papaveris decocto, ſi libras duas ponderaverit, uncias duodeviginti ſacchari & penidiorum eſſe adjungendas. Atque ita ſyrupus papaveris Meſuæ ex *a* Galeno in ſuo diacodio in hunc modum caſtigabitur: Recipe capitum papaveris albi & nigri ſemine turgentium *b* maturorum & nondum aridorum ana uncias ſeptem & ſemiſſem. Contuſa macerētur in libris quatuor aquæ pluvialis per diem naturalem, aut longiori etiam tempore, ſi duriora & ſicciora fuerint. Deinde coquantur *c* donec flacceſcant, adeo ut eorum ſuccus exprimi poſsit: quod fere fiet, ſi ad dimidias fuerint percocta. Et expreſſum jus cum ſachari albi clare facti & penidiorum ana unciis octo percoquatur in ſyrupum.

In Syrupum è mentha.

SYrupum è mentha cauſantur Pharmacopœi ob nimiam menthæ ſiccæ & roſarum copiam, aut ſuccorum inopiam in ejus

a *Loco ante citato ex lib. 7. de compoſ. medic. ſec. 10. cap. 2.* b *Nimirum, in ſiccitate & humiditate mediocriter ſe habentium.* c *Diutius autem coqui ſupervacuum cenſet Galenus.*

ejus compositione à Mesue præscriptorum, rite parari non posse. Unde quidam succos augendos, alii vero mentham & rosas minuendas censent. At nos contra, ut alii etiam docti viri, nullis nec herbarum nec succorum quantitatibus ex iis quæ in Mesuæ descriptione continentur immutatis, illum ex arte in eum qui sequitur modum parari posse ac debere censemus. Accipe succorum expurgatorum cydoniorum acido dulcium, cydoniorum dulcium, granatorum acido dulcium, granatorum acidorum, & granatorum dulcium, ana libram unam & dimidiam. In his succis permistis & calentibus immittantur foliorum menthæ non nimium, sed mediocriter, siccæ, ruptorum aut contusorum, unciæ novem. Et macerentur horis duodecim super cineres calidos, vel in loco alio tepido. Deinde igni admota in vase duplici leniter coquantur, ut semel tantum ferveant. Protinusque per telam lineam fortiter torquendo colentur. Atque in jure expresso adhuc calente macerentur rursus horis viginti quatuor foliorum menthæ, similiter mediocriter siccæ aut passæ, non autem aridæ, & modo prædicto confractorum, aliæ unciæ novem: foliorum rosarum rubrarum siccarum unciæ

ciæ duæ, Post hæc, ut prius, eodem vase duplici prædicto coquantur lento igne ad medias. Colentur cum expressione. Expresso, adde sacchari rubri libras duas. Percoquantur in syrupum. Qui in fine aromatizetur cum drachmis duabus galliæ muschatæ, stillatitio rosarum liquore solutæ, & diligenter immistæ.

In Syrupum Absynthii.

PRiorem serapii de absynthio apud Mesuem descriptionem, quæ magis est in usu, nostris quoque officinis commendamus: hac tamen animadversione, ut in ea legendum est, absynthii libram semissem: quod & in antiquioribus Mesuæ codicibus legitur, & à plerisque omnibus recipitur: non autem libras duas, ut recentiores habent codices: & ut absynthium sit ponticum, quod vulgo dulce appellari solet, & non aliud: utque mellis loco substituatur saccharum rubrum: Quod in calidioribus regionibus, qualis hæc nostra est, magis convenit.

In

In Syrupum de tussitagine.

CUm syrupus de tussilagine nulli certo auctori adscribatur, & varie in officinis paretur: nos sequentem ejus descriptionem magis probamus: Accipe tussilaginis recentis manipulos sex. Capilli veneris manipulos duos. Hyssopi manipulum unum. Passularum uncias quatuor. Glycyrrhizæ uncias duas. Macerentur omnia in libris octo aquæ per horas viginti quatuor. Deinde coquantur dum ad quinque libras redeant. Colato juri addantur sacchari rubri libræ tres, mellis libræ duæ. Et fiat syrupus.

In Syrupos fumariæ endiviæ & cychorii compositos.

IN compositis syrupis fumariæ Mesuæ, intubi seu endiviæ Gentilis, è cychoreo Nicolai, tantam varietatem ac confusionem comperimus, ut merito ab eorum usu deterreri medicus debeat. Quoniam vero institutum nostrum in hoc tractatu non est, novas aliquas medicamentorum descri-

descriptiones afferre; ei qui simplicibus serapiis, qui ex ipsarum herbarum succis fieri solent, contentus non sit, consuluremus, ut ex omnibus præfatorum syruporum quæ circumferuntur descriptionibus, eas deligat quas Ioannes Fernelius in sua methodo affert.

In Syrupum de quinque radicibus.

CUm syrupus ex quinque radicibus varie in officinis, incerto etiam auctore parari soleat: consultius nobis visum fuit, sequentem nostris officinis præscribere. Accipe corticum radicum apii hortensis, fœniculi, petroselini, rusci, & asparagi ana uncias quatuor. Corticum radicum capparis & eryngii ana uncias duas. Seminum anisi, fœniculi, & petroselini, ana unciam semis. Coquantur secundum artem in libris decem aquæ, donec ad sex libras redigantur. Tunc demittantur ab igne donec tepuerit decoctum. Fricentur manibus, & colentur. Colaturæ addendæ saccari rubri libræ quinque. Et fiet syrupus.

Prætermisimus autem acetum, quod alii adjicere hic solent, quoniam mulieribus,

bus, pueris, & aliis etiam maxime adversari soleat. Et quod ubi aceto opus fuerit, facillimum sit syrupi acetosi convenientem portionem ei addere.

In Syrupum ex artimisia.

LAborantibus mẽsium suppressione fæminis, frequentius opitulari conveniet. Id quod syrupo ex Arthemisia plerunque præstari solet. Qui tamen adeo varie & confuse describitur, ut operæ precium nos facturos existimemus, si illo prætermisso hunc alium proponamus. Accipe artemisiæ manipulos duos. Corticum radicum eringii, petroselini, helenii, valerianæ, asparagi, fœniculi, ana unciam dimidiam. Radicum rubiæ, pæoniæ, cyperi, ana quartam unciæ. Pulegii, origani, calaminthes, nepitæ, melissophylli, sabinæ, sampsuchi, hyssopi, prassii, chamedrios, chamepityos, pimpinellæ, hyperici, parthenii, betonicæ, centaureæ minoris, ana manipulum unum, Baccarum juniperi, calami aromatici, seminis anisi, petroselini, apii hortensis, fœniculi, ocimi, dauci, rutæ, nigellæ, ana drachmas tres. Contusa macerẽtur horis viginti quatuor in aquæ libris

libris decem. Coquatur ad dimidias. Tunc deponantur ab igne, donec aqua tepuerit. Fricentur manibus, & colentur. Colaturæ adde ſacchari rubri libras quinque. Percoquantur in ſyrupum; qui aromatizetur cinnamomi uncia una, & ſpicæ drachmis tribus.

CAPUT II.

De Electariorum ac Pillularum examine.

IN expurgantium compoſitorum recognitione, quorum auctores Scãmonium in illis incoqui mandabant, non minorem noſtrorum Pharmacopœorum errorem circa Scammonii coctionem, quam circa ejuſdem trituram offendimus. Nemo enim illorum eſt, qui ſcammonium in compoſitis medicamentis incoquere audeat, licet à ſuis auctoribus in eis coqui præcipiatur. Sed ſemper poſtremo loco illud admiſcent in electariis, nonnulli poſtquam ab igne ſemota, tepida adhuc extiterint, plerique vero poſtquam omnino infrixerint. In quo ſocordia magis quam ratione abducti à ſuo imperatore Meſue diſcedere voluere: Silvii & aliorum doctorum virorum auctoritate territi, qui eos erroris, quẽ ſcam-

ſcãmonii coctio admittere nonnunquam ſolet, admonentes, in majorem nunquam illud incoquendi errorem induxere. Ita enim ſcripſerat *a* Sylvius: Scammonium, ſi calorem ſentit, in grumos coagulatur: quare fit ut interdum in una doſi alicujus medicamenti plurimum ſit ſcammonium, in alia minimum: ſicque inæquale eſt medicamentum. Ob id ad finẽ injicitur. Ioubertus quoq; idem in ſua *b* Pharmacopeja ſenſiſſe videtur: dum in compoſitione electarii è ſucco roſarum à Nicolao deſcripta ita adnotat: Scammonium in ſe facile coit & grumoſum remanet: Atq; ſi diſſolvatur, quieſcens aliquot dies fundum petit & ſeparatur. At enim ſi diligentius ſcripta horũ ipſorum auctorum expendantur, reperientur, illi quidem nihil minus quã ſcammonii cocturam damnare: tantumq; velle Pharmacopœos admonere, ne quid erroris in ejus coctione admittant: multaq; diligẽtia ac arte opus eſſe, ne in grumos vertatur. Quod enim Sylvius ſcammonii cocturam probet, ipſe aperte teſtatur, dicens parum ante citata verba: Scammonium, ſi crudum eſt, craſſius tritũ, in media coctione miſcẽdum. Et alibi etiam inquit: Scammonium quoq; craſſius teritur, ſi coquẽdum eſt cum aliis.

a *Lib. Pharmac. 2.* b *Claſſe 2. de catharticis.*

aliis. At Ioubertus Scãmonium in electario è ſucco roſarũ Nicolai non incoquit: quia ipſe Nicolaus illud illic non coquit. At in præfata in illum annotatione modum quo exacte illud illic permiſceri debeat docet, ſtatim poſt verba, ſuperius à nobis citata, ita præcipiens: Ergo ſeorſim diſſolvendum ſucco roſarum, cui bene permiſcebitur. Deinde ſyrupum coctum ad electarii conſiſtentiam illi ſeorſim affundere calidum oportet, & exacte miſceri Atque in illis ejuſdem electarii annotationibus, de Scammonii tritura agens, illud craſſiuſcule teri concedit, ubi ſit incoquendum. Sed in electario roſaceo Meſuæ, ut & in electario è pſyllio illud cum Meſue incoquit. Et in ſuis annotationibus in electario roſaceo Meſuæ, ubi in ejus deſcriptione jubet Meſues illum cum aliis incoqui, ſic inquit: Ergo Scammonium ſuſtinet æqualem aliis decoctionem. An non vult ſimul coquendum, tametſi omnia? & certe Scammonium melius ſic corrigitur. Neque verum eſt non pati illud coctionem: quum ea ratione præparetur intra cytonium: Et Meſues capite de Scammonio, id varie coquendo præparet, & reddat innoxium. Sed quid opus eſt alios ipſis Pharmacopœis auctores,

res quam ipſum Meſuem eis oboculos ponere. Is enim ut recte advertit Ioubertus, omnes fere Scammonii noxas ejus coctione emendare docet, capite proprio Scammonii ſcribens: & dico quod decoctio eſt generalis præparatio ejus, auferens plura ex ejus nocumentis. Quin quod ipſe expreſſis verbis illud incoquere præcipit in ipſis compoſitionibus: ut in ſuo electario roſaceo, & electario è pſyllio. Quemadmodum autem in ipſius Scammonii tritura oſtendimus, poſſe in læviſſimum pollinem redigi, & nihilominus integris ſuis viribus permanere: ita & in ejus coctione cuncta ea incommoda, quæ præfati auctores advertunt, arte præcaveri poterunt. Atque hanc artem æquius multo fuerit Pharmacopœos ediſcere & exercere (ut Scammonium in omnibus compoſitionibus, in quibus earum auctores illud coqui mandant, incoquant) quam incommoda quæ ob ſuam negligētiam artiſq; ignorationem in ejus coctura accidunt, cauſari, quominus auctorum præſcripta obſerventur. Poterit autem non multo ſane negotio id conſequi, ſi Scammonium incoquendum optimū ſemper eligatur, idq; a minus

Ff acurate

a *Alioquin enim ſubtilius lævigari oportebit, ſi optimum non fuerit.*

acurate tritum primo in parte sufficienti decocti aut succi in quo incoquendum est, antequam mel aut saccharum ei injiciatur, exacte dissolvatur, tepido existenti ipso jure aut etiam frigido. Deinde reliquum decoctum aut succum, ex saccharo aut melle, ad syrupi mediocrem consistentiam percoctum, calidum sensim affundatur ipsi Scammonio, dissoluto in suo vase: probeque exagitetur, ut Scammonium ipsum per totum jus aut syrupum exacte commisceatur. Posteaque igni lento redditum, spatula jugiter agitatum, leniter quantum opus fuerit decoquatur. Quippe intensum ac vehementem ignem non sustinet. Et hoc est, quod dixerat Mesues: & oportet ut fiat ejus decoctio cum facilitate. Impetuositas enim in decoctione addit ei malitiam. Atque ita ostensum satis relinquitur Scammonium recte ac ex arte coqui posse.

In Electarium Catholicon.

TAm varia est electarii Catholici apud Pharmacopœorum scripteres descriptio, & in officinis compositio, ut quam nos magis probamus hic referre cogamur: nempe

nempe quam plerique ex Salernitanorum Nicolao eligunt, sed meliori ordine concinnatam. Accipe polypodii modice recentis uncias tres. Seminum anisi unciam unam. Confracta ut decet coquantur in libris quinque aquæ, primo polypodium, postea anisa (ut ex arte fieri solet) dum ad duas redeant. Colentur, & exprimantur. Expressi maxima pars, additis sacchari clarificati libris duabus, percoquatur moderato igne ad syrupi crassitudinem. Cui ab igne substracto adjiciantur pulpæ casiæ, pulpæ tamarindorum, minima reliqui colati parte solutorum & colo excretorum, ana unciæ duæ. Quæ probe permixta rursus coquantur levissime igne lento. Dum syrupus spissitudinem, quam prius habebat, nanciscatur. Quam ubi attigerit, ab igne exempto, & ad teporem perducto, insperge sequentia: *a* foliorum senæ mundatorum & tenuissime tritorum uncias duas, Rhabarbari electi, polypodii, & florum violarum siccarum, ana unciam unam. Glycyrhizæ rasæ, penidiarum, sacchari candi, ana drachmam unam,

a *Et hoc in omnibus aliis compositionibus observandum ducimus, ut semper pro folliculis senæ folia ejus substituantur in nostris officinis: quoniam qui ad eas perveniunt valde exsiccati & carie consumpti fere sunt omnes.*

unam, quatuor ſeminum frigidorum majorum & à cortice mundatorum, ana *a* drachmam ſemiſſem. Quatuor ſeminibus cultro inciſis, & per cribum tranſmiſſis, vel cum penidiis exacte ſubactis, & lævigatis; reliquis autem in tenuem pulverem redactis: miſceantur omnia probe lignea rudicula, ab initio ad finem uſque agitando, dum ubique ſubſtantiarum quædam ſit æquabilitas. Cavebitur autem ſemper, tum in hoc, tum in cæteris omnibus electariis, ferri, aut æris, conſimiliſve noxii metalli uſus.

In Electarium è prunis.

Compoſitionem hanc primus deſcripſit *b* Nicolaus Alexandrinus vetuſtior, à quo reliqui mutuarunt. Sed in codice Lati-

a *Legimus in integra hujus electarii deſcriptione, ut legerunt Salernitani: quatuor ſeminum frigidorum unciam unam: quoniam hæc lectio magis congruit cum deſcriptione electarii catholici Nicolai Alexandrini vetuſtioris: non autem ana unciam unam, ut habet Nicolaus Prapoſitus & alii eum ſequuti.* b *Cap. 227.*

Latino Alexandrini vetuſtioris in priori violarum doſi mendoſe legitur drachma una, pro eo quod inferius in eadem violarum doſi legitur uncia ſemis. Et in utraque legendum eſſe unciam dimidiam cõſtat ex *a* Nicolao Myrepſico. Quem etiam ſequitur Nicolaus præpoſitus. Quorum lectionem magis probamus, quam Salernitanorum, qui in ſuo Nicolao habent, violarum unciam unam & ſemiſſem. Pruna vero noſtris Pharmacopolis damaſcena cum primis eligenda commendamus: veluti à præfatis auctoribus præceptum eſt, cum eadem apud nos reperiantur: aut ſaltem horum loco ea ſubſtituant, quæ vulgo appellantur *b* Caragoçana. Quod vero per viridia intelligenda ſint recentia optime matura, manifeſtius jam eſt Pharmacopolis, quam ut admonitione ſit opus. Siquidem *c* viridia dicuntur, ut excludantur ſicca tantum, non autem matura.

a *Sect. 1. antid. 88.* b *Alias, Caragocis.*
c *Perinde ac in electario è pſyllio, dicit Meſ. violas virides, pro recentibus.*

In Confectionem Hamech.

Confectio medicaminis Hamech, quam priori loco proponit Mesues, etsi receptissima sit in plerisque omnibus officinis: si propositum nobis esset hoc in opere liberum judicium de medicamentorum compositionibus ferre, ex nostris officinis exterminaretur: utpote paratu difficilis, & citra ullam artem concinnata. Difficultatem ostendunt tot parandi modi, quot apud nostros Pharmacopolas reperimus. Vix enim à duobus eodem modo eam audivimus parari. Quod autem in medicina dixerat Hippocrates esse difficile judicium, exposuit Galenus ex variis in ea sectis intelligi. Atechnia vero, qua compositio hæc à viris doctis notatur, est multiplex. Nam præter impeditam, tot simplicium, in sero, per quinque dies macerationem multis obnoxiam periculis: simul in eo, & infunduntur, & postea concoquuntur medicamenta multa, quorum alia crassa, alia vero tenui prædita substantia, varia infusionis tempora

ra

ra & varios coctionis modos exposcunt. Quibus adde quod ut pruna numero 60. & unciæ fere triginta duæ aliorum simplicium, macerari possint diebus quinque, & deinde unicam recipere ebullitionem: oportebit eis, præter libram unam succi fumariæ, quam in ea infusione jubet Mesues immittere, seri libras undecim aut etiam amplius affundere: ut nos certissimo experimento comprobavimus. Quidquid alii à Pharmacopolis, quos ea de re consuluere, delusi, nullo specimine dato, seri minus ad hanc infusionem sat esse affirment. Ut si semel tantum ebullire ipsa infusio deberet, veluti præcipit Mesues, oporteret plus quam septem libras ipsius decocti superesse. At enim hanc decoctionem mandat Mesues, additis ei casia tamarindis & manna, cum libra tantum una & dimidia sacchari, ad mellis consistentiam percoquere. Quam quidem antequam obtineat, quis quæso non intelliget vires, tam infusionis, quam casiæ, mannæ, & tamarindorum, evanidas prorsus fore.

Quoniam vero in officinis nihilominus nostris usitatissima hæc est confectio: modum quo saltem minus inconcinne, & juxta auctoris mentem, parari possit, pro-

ponemus: *a* Accipe corticum Myrobalanorum citrearum uncias quatuor: cepularum, & indarum seu nigrarum, epithymi, ana uncias duas: agarici, pulpæ interioris colocynthidis, radicum polypodii quercini recentis, ana uncias duas drachmas duas: Rhabarbari, comarum absynthii (*Pontici scilicet*) thymi, foliorum senæ, ana unciam unam: florum violarum recentium unciã unam drachmas septem: seminum anisi, fœniculi, rosarum rubrarum, ana drachmas sex. Pruna sicca dulcia

a *Quanquam integram nos hic auctoris descriptionem adduximus, consultius tamen censemus ejus dimidium tantum singulis vicibus conficere. Ita enim omnium medicamentorum macerandorum dimidio sat essent feri libræ quinque cum dimidia, & fumariæ libra semis. Quibus percoctis dum decoctum ipsum ad libras duas cum dodrante redeat, minus multo ex eo consumeretur quam in integra descriptione fieri oportet, in qua libræ sex cum dimidia insumuntur: cum hic libræ tres tantum cum quadrante consumantur. Atque ita magis ex arte factum decoctum efficatius quidem & potentius redderetur. Quumque in integra descriptione necessarium sit contra ipsam artem ex ipsa decoctione plus justo insumere, ne major ejus quantitas superesset quam quæ syrupo conficiendo sufficeret: in ejus quidem dimidio si humoris in decoctione consumpti quantitas dimidia tantum fuerit ejus quæ in integro decocto consumi præcipitur, decocti jus reliquum & validius erit, & serapio conficiendo sufficiet. Neque vero servari hic oportet proportio illa arithmetica quam in aliis ex arte factis decoctionibus observari volumus. Quippe quum in integra descriptione decoctio ipsa sit contra artem instituta.*

cta enucleataque numero ſexaginta. Uvarum paſſarum detractis acinis uncias ſex. Colocynthis & alia quæ incidi poſſunt minutim forcipe inciſa, reliqua vero contuſa, omnia macerentur ſimul in libris *a* undecim ſeri caprini (à quo etiam recocta fuerit detrata) & ſucci fumariæ depurati libra una, in vaſe vitreato *b* oblongo & anguſti oris, bene obturato, per dies quinque, quotidie agitata, & igni aliquantulum *c* calfacta in duplici vaſe. Exactis quinque diebus igni lento ferveant, dum ad quinque libras cum dimidia redeant. Fricentur, & valide exprimendo colentur. In colaturæ *d* minima portione, diſſolvantur Scammonii uncia una & dimidia: mannæ unciæ duæ: pulpæ caſſiæ unciæ quatuor: pulpæ tamarindorum unciæ quinque: ſingula ſeorſim. Reliquo vero colato juri adde ſacchari clarificati

Ee 5 uncias

a *Vel non plus quam duodecim.* b *Ita enim præfinita ſeri copia rebus infuſis ſufficiet.* c *Ex Galen. lib.7. de com. medic. ſec. lo. cap.4. ubi præcipit macerari pſyllium in aqua calida conjectum, colligunt nonnulli, in omnibus infuſionibus obſervandum ut perpetuo fiant in liquore calido. At enim tepidum ſaltem debere eſſe liquorem in quo medicamenta fuerint maceranda, vel tepido loco aſſervandum, aut etiam interdum inſolandum, rationi conſonum videtur, ut blandi caloris beneficio adjutus medicamentorum vim promptius exorbeat,* d *Uncia octo ſummum ſat erunt eis.*

uncias viginti duas. Et percoque ad mellis craſſitudinem. Quam ubi obtinuerit, ab igne amoveatur. Et calidum ſenſim admiſceatur Scammonio diſſoluto in ſuo vaſe, ſubinde agitando quouſque exacte omnia permiſceantur. Deinde igni lento tamdiu exagitando bulliant, donec decoctum ipſum priorem quam obtinenebat conſiſtentiam, aut etiam paulo craſſiorem, nanciſcatur. Mox ei prius ſervatam mannam, pauco expreſſi decocti ſolutam, adjunge: cum qua rurſus in ipſo moderato igne leniter coquatur quouſque ad ipſam mellis compagem redeat. Et poſtea cremor caſſiæ & tamarindorum, prius quam pauciſſimo præfati decocti extractus & ſeorſim ſervatus, addatur. Cum quibus ſimiliter percoquetur ad præfatam uſque mellis ſpiſſitudinem. Et tandem ſemoto ab igne, & tepido exiſtenti, inſperge ſequentia in tenuem pulverem redacta: Rhabarbari unciam unam, drachmas tres: myrobalanorum citrearum, cepularum, indarum, ana unciam dimidiam: Belericarum, emblicarum, ſeminum fumariæ, ana drachmas tres: aniſi, ſpicæ nardi, ana drachmas duas. Permiſceantur omnia probe, lignea rudicula continenter agitando.

In Electarium Diaphœnicon.

DEscriptionem Diaphœnici quam affert Mesues, cum sequentibus animadversionibus probamus. Primo ut dactili sumantur ex maturis solidiores & recentiores: qui ex Africa convehi solent: quidquid alii viri docti Mesuem græcisare cogentes, interpretentur vocem cheyron fulvum, ac si esset vox græca κίῤῥον. Cum potius per cheyron, regionem seu oppidum intelligendum sit: ex quo dactilos, ut & tamarindos optimos, censebat Mesues advehi. Nam quod per dactilos cheyron, non possit ipse intelligere fulvos, quales sunt immaturi, constat ex eodem Mesue in eclegmate de pinis, in quo accipiendos esse dactilos cheyron docet. Cum enim eclegma hoc testetur ipse conferre ad tussim antiquam, & sputum glutinosum, & asthma, manifestum est minime ei convenire dactilos immaturos. Secundo quod, tametsi parum intersit dactilos ipsos ponderare ante vel post macerationem, si ex arte utrumque fiat, & dactili pingues, ut oportet, & non exsiccati & carie confecti, assumantur: Nihilominus cum Mesues ipse,

cujus deſcriptionem ſequimur, expreſſis verbis videatur præcipere poſt macerationem eſſe ponderandos: ſatius eſſe ducimus eum ſequi. Poſtremo cum varii varie mellis quantitatem in hoc electario determinent: quod eam Meſues hic non præfiniat: nos eis potius ſubſcribemus, qui nec dactylorum nec amygdalarum cauſa, quæ hoc electarium ingrediuntur, mellis pondus in eo augendum minuendumve cenſent: penidia autem mellis vicem ſupplere ajunt. Quoniam itaque reliqua, quæ hic pulverum nomine ingrediuntur pendent drachmas ſeptuaginta duas, quæ uncias novem conſtituunt: hæ autem pro convenienti electarii conſiſtentia libras tres mellis exigunt: ſi ex libris tribus ſubducantur unciæ ſex & drachmæ duæ, quod eſt pondus penidiorum hic ingredientium, relinquentur unciæ novem & viginti, cum tribus unciæ quadrantibus. Unde mellis quantitas quæ huic electario injicienda venit, erit librarum duarum cum dimidia fere. Erit itaque hujus electarii deſcriptio talis: Accipe carnis dactilorum *a* optimorum, maturorum, *b* mundatorum, contuſo-

a *Quales ſunt molles humidi & pingues, & minime inveterati.* b *A membranis, pelliculis, ac fibris expurgatorum.*

tuſotum, ac in *a* aceto per triduum maceratorum, & tandem cribro excretorum, uncias duodecim cum dimidia. Penidiorum hordeatorum recentium uncias ſex, drachmas duas. Amygdalarum dulcium, tuniculis cultro detractis, uncias tres drachmas ſex. Contuſis, ſubactis, & permiſtis omnibus, adde mellis optimi deſpumati libras duas & ſemiſſem. *b* Paulum coquantur. Ac deinde refrigeſcenti medicamento inſperge ſequentia probe lævigata: turbit optimi uncias quatuor, drachmas tres: Scammonii unciam unam & ſemiſſem: zinziberis, piperis longi, foliorum Rutæ ſiccorum, cynnamomi (hoc eſt cannelæ optimæ) macis, ligni aloës, ſeminum aniſi, fœniculi, Dauci, *c* galangæ, ana drachmas duas & ſemiſſem. Permiſceantur omnia probe, lignea ſpatula continue & diligenter commovendo.

In Electarium ex Pſyllio.

MUlti, quos minime damnamus, hoc electarium componunt ex deſcriptione Montagnanæ. Quoniam vero apud noſtra-

a *Optimo, non acerrimo.* b *Tamdiu, nimirum, dum acetum in dactylorum pulpa imbibitum abſumitur.* c *Minoris ſcilicet.*

noſtrates Pharmacopœos deſcriptio Meſuæ in uſu eſt, de ea hic tantum agemus. Ac primum quod hic animadvertendum ducimus, eſt circa Scammonium, quod quamquam à Meſue hic præſcribatur in pomo coctum, nos tamen id potius crudum cum aliis viris doctis ſubrogandum cenſemus, quod illud incoquendum hic cum aliis præcipiat auctor. Deinde quod ſemina pſyllii integra & nullo modo fracta maceranda hic ſunt. Quòd vero nonnulli dubitant de Rhabarbaro, utrum illud, vel potiùs trochiſci ex Rhabarbaro, ſint in hac compoſitione à Meſue collocati. Nos minime dubitamus, eum trochiſcos de Rhabarbaro intelligere. At magis dubitamus quid pro ſpodio, & berberi in eorum trochiſcis, qui hanc etiam compoſitionem ſubeunt, ſit ſubſtituendum, cum eis careamus. In qua tamen dubitatione eis magis aſſentimur, qui ſpodii loco in omnibus compoſitionibus, ore aſſumendis, roſas commendant, in medicamentis vero exterius admovendis (ſi ab Arabibus vel eorum ſectatoribus fuerint præſcripta) ebur adustum ſubſtituunt: pro berberi autem non oxyacanthæ, vulgo dictæ, è ſpino demajuelo, niſi potius fruticis criſpini vocati fructum.

fructum *a* accipiunt. Demum licet in Mesuæ codicibus legatur asari uncias quatuor: nos cum Brasavola ac aliis legendum potius credimus, drachmas quatuor.

In Electarium de succo rosarum.

Electarii de succo rosarum in officinis usitati sub nomine Nicolai, legitimus auctor est *b* Nicolaus Alexandrinus vetustior. A quo reliqui Nicolai illud transcripsere. Cujus parandi modum, quem affert Joubertus in sua Pharmacopœja, quod is nobis artem præ cæteris observare videatur, hic subjicere non pigebit. Quamquam in pondere Scammonii, in quo à Nicolao recedere voluit, ei astipulandum minime censemus. Accipe succi rosarum rubearum ex arte depurati libram unam uncias quatuor. In cujus parva portione dissolvatur seorsim *c* Scammonii optimi uncia una & semis. Reliquus autem succus, cum sachari albi libra una & unciis quatuor, coquatur lento igne ad consistentiam electarii crassiorem. Tuncque ab igne semo-

a *Quem Dodonæus credit esse oxyacantham Galeni, differentem ab oxyacantha Dioscoridis, & oxyacantha ipsius Gal.* b *Cap. 309.* c *Vel Scammonii præparati, nempe, pomo cocti.*

ſemotum & calidum adhuc exiſtens, ſenſim Scammonio ſeorſim in ſuo vaſe diſſoluto immittatur: ac ſubinde agitentur quouſque exacte permiſceantur. Sub finem vero, tepido jam exiſtenti inſperge ſequentia in tenuem pulverem redacta: trium ſandalorum ana drachmas ſex, roſarum rubrarum (loco ſpodii) drachmas ſex, caphuræ ſcrupulum ſemis. Et commiſceantur omnia probe.

Caphuram in hoc electario, ut & in omnibus aliis medicamentis ore aſſumendis, non omnino rejiciendam cenſemus: ut nonnulli viri docti volunt, nos vera caphura carere putantes. Quod ſi ita eſſet, libenter illis ſubſcriberemus. Sed cum ipſiſſima Arabum caphura ad nos ex India aſportetur, non eſt quod contra auctorum, quos ſequi profitemur, mentem, eam in ſuis deſcriptionibus omittamus: eam (inquam) quæ ab India affertur, rudis & ignē non experta, nec ſublimata. Quoniam vero caphuræ odor infeſtus maxime aliquibus eſſe ſolet, ingrataſque reddit confectiones, aliorum odoratorum in eis ſuaveolentiam enervans, doſim ejus in medicamentis ore aſſumendis minuere non recuſavimus cum nonnullis viris doctis. Sed ita ut in electariis dimidium, in pulveri-

veri-

veribus vero quartam partem dosis ejus in auctorum descriptionibus repertæ retineamus.

In Benedictam.

QUamvis nomine auspicato videatur electarium hoc sese cõmendare: Nos tamen de ejus bonô omine maxime dubitare cogunt tum formularũ ejus apud auctores varietas, tum etiam simplicium hic ingredientium difficultas & adulteratio. Varietatem à prioribus ejus auctoribus exorsam testari videtur Nicolaus Myrepsa quatuor ejus descriptiunes *a* afferens: à quibus Salernitani suam in suo Nicolao colligentes, aliam etiam variã adducunt. Quam novissimus Nicolaus Præpositus mutuatus, nihilominus in esula ab eis dissentit, ab hoc electario illã rejiciens: & pro eo quod Salernitani habent, se. lini spermatis, petroselini: inquit: Selini spermatis. Difficultatem & adulterium in simplicibus arguunt dissidia atque lites inter juniores quod sit verum turbith, quæ vera

a *Sect. 1. antid. 447. 507. 508, & 509.*

ra *a* esula, an veris hermodactylis careamus: ut interim amomum & cardamomum omittamus, quoniam etiam si vera desiderentur, non multum referat eorum antibalomenis uti. Quibus de causis nihil mirum est, cur etiam juniores Pharmacopœarum scriptores adeo inter se in hoc medicamento varient, ut vix unus cum alio consentire videatur: aliis Salernitanorum, aliis Præpositi descriptionem secutis: aliis vero neutra descriptione contentis, pro suo arbitrio simplicia quædam immutantibus, & circa doses etiam variantibus. Sed ex omnibus quas ipsi afferunt hujus electarii formulis, eam nostris Pharmacopœis magis commendandam censemus, quam affert Joannes Fernelius libro suæ methodi septimo. In qua ille esulam, perinde ac Præpositus & plerique etiam doctiorum auctorum, rejicit. Quos nos etiam imitari vel ea ratione oporteret, quod quæ in communi usu est nostrarum officinarum, nihil aliud sit, quam tithymali characiæ radix. Ex reliquis vero simplicibus aliqua omisit, alia eorum loco substituens.

a *Recte Matthiolus opinatur Arabum Alsebram seu Scebram minus, esse quæ officinis dicitur Esula minor, & à Diosc. dicitur Tithymalus cyparissias: Alsebram vero majus, esse plantam à Græcis dictam pityusam.*

stituens. Quibus pro sua singulari prudentia & integerrimo judicio, cōmodius reddit medicamentum, ut ore etiam tuto assumi possit. Ejus autem formula talis est. Recipe turbith drachmas decem. Diacridii, hermodactilorum, a rosarum rubeatum drachmas quinque. Caryophylorum, zinziberis, radicum saxifragæ, seminis apii, salis gemmei b galangæ, macis, carui, fœniculi, acinorum asparagi, & rusci, seminis milii solis, quatuor seminum frigidorum majorum, glycyrrhizæ, ana drachmam unam. Mellis optimi despumati libram unam & semis. Conficiantur ex arte.

In Hieram Logadii.

Hiera logadii in officinis usitata desumpta est à c Nicolao Alexandrino vetustiori. Cujus compositionis decimam partem transcripsere Salernitani in suo ficto Nicolao. Idque, ob arithmeticæ imperitiam non minus depravate quam in multis aliis compositionibus, quarum descriptiones non integras quidem, sed aliquotam earum partem decerpere eis libuit.

a *Exunguium.* b *Minoris scilicet.* c *Cap. 110*,

buit. Errata autem, quæ in descriptione hac deprehendimus sunt: primum in dosi euphorbii, polii, & coccognidii; ubi pro decima parte drachmarum septemdecim, quæ in Nicolao Alexandrino reperiuntur, habent ipsi drachmam unam & semis grana sex: cum, numerando juxta eorum supputationem, pro singulis drachmis grana sexaginta, deberent dicere, drachmam unam & semis grana duodecim. Re vera tamen numerando pro singulis drachmis grana septuaginta duo, sunt drachma una & semis grana quatuordecim cum duabus quintis. Similiter in dosi absynthii & mirrhæ dicunt, ana drachmam unam & grana duodecim, pro decima parte drachmarum duodecim, numerantes suo more in singulis drachmis grana sexaginta: cum numerando grana septuaginta duo (ut debent numerari) dicendum sit potius, ana drachmam unam grana quatuordecim cum duabus quintis. Sed in dosi aloës & cæterorum usque ad prassinm majus extat mendum, substitutis scrupulo uno & granis quatuordecim, pro decima parte drachmarum undecim. Ut habetur in Nicolao Alexandrino. In quo tamen nos cum aliis credimus legisse eos, & bene quidem (ut inferius dicemus) non drachmas undecim,

sed

ſed drachmas novem: & erratum hic non eſſe eorum, niſi potius librariorum, qui pro eo quod illi ſcripſerunt, ana ſcrupulos duos & grana quatuordecim, habent ſcrupulum unum & grana quatuordecim. Sed nihilominus quoniam eo modo numerantur in ſingulis drachmis grana ſexaginta, cum potius deberent numerari ſeptuaginta duo: dicendum illis erat, ana ſcrupulos duos, grana ſexdecim, cum quatuor quintis. Et demum in doſi quoque ellebori albi & nigri, peccant ſuo more, ſubſtituentes grana ſex pro decima parte unius drachmæ, cum potius decima drachmæ pars ſit grana ſeptem cum una quinta. At enim quoniam hæc Salernitanorum deſcriptio, eo quo expoſuimus modo caſtigata, ob minutas granorum in ſuas partes diviſiones difficilem ac tædioſam reddit hanc cōpoſitionem: idcirco nos non decimam deſcriptionis Nicolai partem, ut illi, niſi ſextam tantum mutuantes, faciliorem multo in eum qui ſequitur modum proponimus. Accipe trochiſcorum alhandal (pro colocynthidis interioris) polipodii quercini, ana drachmas tres ſcrupulum unum. Euphorbii, polii montani, *a* coccognidii, ana drachmas duas ſcrupulos duos & ſemis.

a *Hoc eſt, ſeminis thymeleæ.*

mis. Comarum absynthii (*Pontici scilicet*) myrrhæ, ana drachmas duas. Comarum *a* centaurii, agarici, ammoniaci, thymiamatis (videlicet optimi & selecti) folii, scillæ assæ, spicæ nardi, diacrydii, ana drachmam unam scrupulos duos. Aloes, corymborum seu capitulorum thymi, cassiæ ligneæ (id est, cannellæ) comarum chamædryos, Ammoniaci (loco bdellii) foliorum marrubii, ana *b* drachmam unam & semis. Cinamomi (nempe, cannellæ optimæ) oppoponacis, castorei, radicum aristolochiæ longæ, (*aut si desit rotunda*) piperis albi, piperis longi, & piperis nigri, croci, sagapeni, seminum *c* petroselini, ana scrupulos duos & semissem. Corticum

a Minoris sequitur. b *Drachma una cum dimidia est sexta pars drachmarum novem, ut legendum cum aliis viris doctis censemus in Nicolao Alexandrino, non autem drachmas undecim, ut in vulgatis ejus codicibus habetur: idque eadem conjectura ducti quæ illos ad id credendum movit, quod nimirum in hac compositione auctor à majoribus ponderibus exordiens semper minuendo progreditur. Cui etiam adde quod in Græcis numeris facilis foret lapsus ab* ἐννέα *ad* ἕνδεκα.

c *Macedonici scilicet. Cujus magna copia apud nos reperitur.*

ticum radicum a ellebori albi & nigri ana scrupulum semis. Mellis optimi despumati quod sufficiat: sufficient vero libræ duæ fere. Gummi vino odoro solvuntur: cribrantur: melle subiguntur. Alia tenuissime

a *Ellebori albi magna copia est in multis Hispaniæ locis. Niger autem legitimus, ut à Diosc. describitur, minime in Hispania cis Pyreneos montes reperitur. Quoniam vero Galen. utrique eandem facultatem tribuit lib. 6. de med. simpl. fac. de utroque simul agens: & nihil referre dicit albo an nigro uti. libr. de comp. Phar. sec. lo. 1. cap. 2. licebit hoc quidem electario ellebori nigri loco album substitui. Quod si ex Italia, vel etiam propius ex Pyreneis montibus, ubi maxime abundat, elleborus niger afferatur, Pharmacopolarum nostrorum diligentiam laudabimus. Vt contra eorum ignaviam atque ignorantiam damnamus, qui hactenus pro veratro nigro, clematidis alterius, herbariorum vulgo dictæ flammula, & Hisp. la yerva mormenta vel mormera, radice utebantur. Quum tamen illis æque ad manum sint duæ aliæ plantæ, quæ ut elleboro congeneres, ita à multis ellebori nigri loco, veri ac legitimi penuria vel etiam ignoratione, usurpari solent. Nempe, una quam Dodonæus non recte contendit esse buphthalmum, & verisimilius Matthiol. existimat esse consiliginem Columellæ & Plinii, aut saltim pseudo elleborum, alii vero helleboriaem, alii sesamoidem minorem, Pena vero & Lobel levissima quidem conjectura elleborum ferulaceum Theophrasti esse credunt. Altera vero quæ Hisp. appellatur ab aliquibus harnovvl, & ab aliis la yerva del lobado: atque à Dodonæo & multis aliis inter ellebori nigri species censetur: ab aliis vero helleboraster & consiligo esse putatur. Quibus quidem plantis aliorum exemplo, minorique culpa, legitimi ellebori nigri defectu, uti possent.*

me teruntur, unaquæque ex arte. Cribrata autem miſtaque omnia paulatim melli ferme frigido miſcentur exactè.

In Pulveres ſeu ſpecies Hieræ ſimplicis Galeni.

EX omnibus deſcriptionibus Hieræ, quas diverſis in locis affert Galenus, a optima ejuſdem judicio eſt, atque ideo à nobis ſelecta ut noſtris Pharmacopœis proponeretur, quam ipſe libro ſecundo de b comp. Phar. ſec. lo. adducit. Cujus pulveres, in eum qui ſequitur modum, parabuntur. Aloes optimæ drachmæ nonaginta, cinnamomi (videlicet, optimæ canelæ) ligni aloes (loco xylobalſami) radicum aſari, ſpicæ nardi, Maſtiches albæ & optimæ, ana drachmæ ſex. Croci optimi drachmæ quinque. Tenuiſſime trita & cribrata miſceantur.

In

a *Lib. 7. method. cap. 11. & lib. 6. de ſan. tu. cap. 10. & lib. de ſang. miſ. cap. 18. & lib. 2. de comp. Phar. ſec. lo. cap. 1. & lib. 8. ejuſdem cap. 2. & 3.* b *Cap. primo.*

De Massæ Pillularum conformatione.

SEverius fortassis, quam par erat, hactenus in nostros Pharmacopolas animadversum fuisse judicabunt illi, qui palpum eis obtrudere sunt soliti: & nos culpandos potius existimabunt, quod tam nude eorum errores detegerimus, nihilque in eis laude dignum toto hoc opere sit commendatum. In quorum gratiam (omnibus enim debitores sumus) libet modo illorum usum laudare, qui pillularum offas seu magdalias, quas earum auctores aqua vel succis lentore ullo carentibus comprehendere præcipiunt, non usquequaque ex illorum præcepto parant: sed ab aliis perdoctis viris admoniti, & experientia edocti, ejusmodi liquores aut succos, melli cōmistos, proxime ad syrupi crassitudinem, & interdum etiam ad crassiorem consistentiam percoquunt, quo ipsarum pillularum magdalias excipiunt ac conformant. Quamquam vero contra hoc alii argutule objicere contendant, ex mellis aut sacchari additione pillularum quantitatem acrescere, viresque imminui: Re vera tamen ut omnia pillularum simplicia in massam

juncta aptius cohæreant, nec tempore exsiccata massula dehiscat, simpliciumque experiret facultas, humorem postulant lentum & glutinosum, quo conformentur. Atque recte quidem docti quidam viri, auctores ipsos, qui ejusmodi pillularum massas, præfatis liquoribus aut succis, lentoris expertibus, formandas imperarunt, amice interpretantur, in usum præsentem eas pillulas componi: secusque præcepturos si diutius illæ essent asservandæ. Quoniam vero & in hoc gravius etiam peccare contingeret, si in omnibus, & minus caute quam par est, hæc mellis aut sacchari, cum tenuibus liquoribus aut succis, mistura fieret: ubi & quomodo hoc faciendum sit exponere non pigebit. Si enim pleraque, in pillularum compositione ingredientia simplicia, fuerint lachrymæ, vel gummi, aut succi lenti & glutinosi (ut sagapenum, ammoniacum, tragacanthum, gummi arabicum, & aloës etiam ac Scammonium si dissolvenda sint) nihil sane opus erit, mel aut saccharum eis immiscere liquoribus aut succis tenuibus, quibus auctores ea excipere imperaverint. Siquidem, quovis liquore ea cum reliquis cogi satis poterunt. Cujusmodi pillulæ sunt masticbinæ, è fumaria, ex hermodactylis majo-

majores, ſine quibus, & aliæ ſimiles. In aliis vero (cujuſmodi ſunt pillulæ Rhabarbari, aureæ, cocciæ, fætidæ, & arteticæ) recte quidẽ additur ſucco puro ab auctore præſcripto mellis pars tertia. Et percoquuntur ad tertiæ ipſius ſucci partis conſumptionem. Ex quo aſſumetur quod ſatis ſit ad excipiendos omnes pulveres, & ut ad conſiſtentiam, pillulis idoneam, redigantur.

In Pillulas Maſtichinas.

PIllulæ maſtichinæ, quæ in officinis parari ſolent, ſunt ex *a* Petri Aponenſis, Conciliatoris dicti, deſcriptione. Nos tamen noſtris officinis parandam potius ducimus, quæ à *b* Fernelio adducitur in eum qui ſequitur modum; Recipe maſtiches uncias duas. Aloës optimæ uncias quatuor. Agarici trochiſcati, pulveris hieræ ſimplicis, ana unciam unam & ſemis. Cum vino optimo cogantur in maſſam.

Gg 2 *In*

a *Quas affert ipſe in ſuis additionibus in Meſuem, tr. de ægritud. memb. nutr. cap. de indig. ſtoma. in fine. & ſimiliter Franciſcus de pede Mont. in ſuis additionibus in Meſara. de ægritud. ſtoma. cap. 19. & 21. in fine.* b *Lib. ſua meth. 7.*

In Pillulas Aureas.

HArum pillularum auctor primus est ex Pharmacopœarum scriptoribus *a* Nicolaus Alexandrinus. Cujus dimidiam formulam transcripsit *b* Nicolaus Myrepsus, addens in ea tantum hieræ picræ drachmam unam. Salernitati vero ejusdem Nicolai vetustioris formulam similiter dimidiantes, hieram picram myrepsi omisere: sed mastiches drachmam unam Nicolaus Præpositus ipsorum Salernitanorum, quos sequutus est, descriptionem substituit: præterquam quod in mastiches pondere dimidiam addit drachmam. Quocirca cum non multum referat mastiches hic pondus addere aut minuere: utramuis descriptionem, vel Salernitanorum, vel Præpositi recte teneri posse censemus. Quod si quis earum optionem desideret, Præpositi quidem formulam magis probaremus, quoniam ex majori mastiches dosi magis correctum & benignius redditur ipsum medicamentum.

In

a *Cap. 807.* b *Sect. 32. cap. 97.*

In Pillulas è Nitro.

Pillularum è nitro auctor eſt *a* Alexander Trallianus. Quas Nicolaus quoque Alexandrinus vetuſtior *b* affert ſub nomine pillularum Alexandrinarum. Nec in aliquo ab Alexandro variat, quam in totius compoſitionis pondere, ejus deſcriptionis quartam partem mutuans; & quod Alexāder dicit comeos, ſcribit ille ameos. Sed *c* Meſues has etiam pillulas ex ipſo Alexandro referens, loco ameos ſeu comeos, ſubdit *d* gummi: & nitri (quod appellat baurach) doſim dimidiam: euphorbii vero doſis, quartam tantum partem aſſumit. At enim cum tria ex præcipuis medicamentis quibus hæ cōſtant pillulæ apud nos deſiderentur: nimirum, elleborus, nitrum & bdellium: non immerito de eis ambigi poſſet utrum noſtris officinis ſint admittendæ, an potius ab eis rejiciendæ. Verum cum nonnullos ex doctioribus noſtrorum medicorum eis libenter uti intelgamus, earum formulam hic proponentes,

a *Lib. 1. cap. 21.* b *Cap. 796.* c *Tractat. de ægritud. capitis. c. de epilep.* d *Braſſavolus non inepte convectat librariorum culpa legi in Meſue, gummi, pro ammi.*

tes, succedanea eorum quæ desiderantur subjiciemus. Accipe Aloes optimæ, diacrydii (pro Scammonio) trochiscorum Alhandal (pro colocynthide) Ammoniaci optimi (loco bdellii) ammeos, nitri veri (aut ejus loco salis gemmei) corticum radicum *a* ellebori albi præparatarum (loco ellebori nigri) ana drachmam unam. Euphorbii drachmas duas. Succi brassicæ, quantum sufficiat excipiendis pulveribus in catapotiorum massam. Porro nos harum pillularum loco potius quidem reciperemus, quas adducit *b* Brasavolus ex *c* Galeno, à Nicolao Leoniceno de sex rebus vocatas: quæ recipiunt: aloen, Scammonii, colocythidis, Agarici, Bdellii, gummi arabici, singulorum partes æquales.

CAPUT III.

De Medicamentis exterius admovendis.

VLtimo jam nobis expendenda relinquuntur medicamenta, quæ exterius adhibentur: nempe, olea unguenta, & empla-

a *Aut radicum pseudoellebori nigri, vel elleborina.*
b *In suo examine catap. in exam. pil. Alexan.*
c *Libr. 5. method. cap. 14.*

emplaſtra. Ac principio quidem non poſſumus non damnare noſtrorum Pharmacopolarum ſocordiam, qui cum facillimo negotio ſibi comparare poſſent omphacinum oleum, in omnes qui in officinis frequentiſſime occurrunt uſus: ejus ſuccedaneis uti non erubeſcunt, perinde ac ſi ex ultima India aſportandæ illis eſſent olivæ immaturæ. Pudeat itaque poſthac Hiſpalenſem Pharmacopœum aliud quam verum omphacinum oleum, in ſuis officinis habere, ut quæ ex eo paranda ſint olea ex arte concinnentur. Deſinantque jam nobis obtrudere ex *a* Galeno Hiſpanum oleum pro omphacino poſſe uſurpari. Cum *b* eodem teſte aſtringens eſſet illud, quod ex Iberia, Galeni ævo aſportabatur, Hiſpanicum dictum: & hac ratione loco omphacini illud ſubſtitui poſſe dixerat Galenus, ut & oleum, cui teneri olivarum ſurculi contuſi, eſſent commiſti. Quo circa cum oleum noſtrum nullam omnino præ ſe ferat adſtrictionem, Galeni ipſius judicio minime pro omphacino uſurpari debet.

a *Lib. 11. method. cap. 16. & lib. 12. ejuſdem cap. 3. lib. item 2. de compoſ. med. per gen. cap. 13. & aliis in locis.* b *Lib. de ſimpli. medic. fac. 6. cap. de oleo, & lib. 1. de comp. medic. per gen. cap. 4. & 12. & lib. ejuſdem 3. cap. 2. & lib. 8. meth. cap. 2. & lib. ejuſdem. 11. cap. 16. & lib. 12. cap. 3. & lib. 13. c. 15.*

bet. Alium etiam non minus communem in noſtris officinis deprehendimus errorem, circa olei genera, quæ impreſſione parari ſolent: ut interim olea, quæ expreſſione parantur omittamus: quæ omnia plerique è noſtris Pharmacopolis ab aromatopolis rancida & adulterata emere ſolent. At olei, ea, quæ impreſſione facta dicuntur, genera, nullus fere eſt ex noſtris Pharmacopœis, cui, juxta auctorum præſcripta, parentur: niſi ea potius quæ incompleta vocata ex ſimplici rerum maceratione, utcumque à mulierculis confici ſolent. Nec vero hac in parte, ut in ſyruporum cõpoſitione ab arte receſſiſſe cauſari poſſunt, ob ægrorum delicatos guſtus: ſed ut operam & ſumptus fugiant, una dumtaxat maceratione, & decoctione contenti, olei genera in ſuis officinis proſtituunt, quæ nihil præter commune oleum colore, odore, & ſapore etiam referunt. Eos itaque obteſtamur, ne ab arte, ac auctorum præſcripto in hujuſmodi oleorum compoſitionibus recedant: & quod labori & expenſis minime parcentes, ea non ex ſuis inſcriptionibus cognoſcenda, ſed naribus potius disjudicanda conficiant: ut ſingula naribus admota, ſimplicium ex quibus conficiuntur, vim ac naturam odore referen-

ferentia, qualia sint, ac dici debeant, dignosci queat.

In Oleum Rosaceum.

EO hominum socordia & avaricia progressa est, ut vel ad salutem, omnium humanarum rerum preciosissimam non jam quæratur tantum quod præstantius ad eam conservandam aut recuperandam esse possit, sed quod facilius minorique artificio ac sumptu possit parari : magisque Pharmacopœorum rei quam ægrotorum utilitati, consulere urgeamur. Unde quum Pharmacopœi ipsi nobis in omnibus potestatem optionemque non faciant meliora eligendi : ex iisque unum sit oleum rosaceum, quod omnes quotquot novimus Pharmacopœi numquam clamare cessant minime posse juxta Mesuæ normam parari, quin impensis pretium plus etiam quam duplo excedatur : aliud eis proponemus, quod minori & sumptu & artificio parari possit:ea tamen lege ut prorsus ipsi suum illud simplex oleum, quod à Salernitanorum Nicolao mutuàntur, deserant ac abdicent. In quo ipsi à vero Alexandrino Nicolao, à quo illud suum an-

tidotarium præſcripſere, æque ac à vera & convenienti methodo compoſitionis hujus olei variarunt. Quod vero nos eis oleũ permittimus, erit hujuſmodi: pro roſato completo: Accipe roſarum rubrarum recentium, *a* completarum & contuſarum, libras quatuor. Succi roſarum libras duas. Macerentur in olei olivarum maturi aqua nitida ſæpius loti, libris decem, in vitreato vaſe diligenter obturato. Et diebus ſeptem inſolentur. Deinde in vaſe duplici horis tribus leniter coquantur. Poſt coctionem torquendo exprimantur: expreſſiſque foliis abjectis, tot novæ ac recentes, ſimiliter tuſæ, in oleum colatum eodem vaſe immittantur. Quæ rurſus, diligenter occluſo vaſe, ſoli ad macerandum dierum quadraginta ſpatio exponantur. Et poſtremo in duplici vaſe modice coquantur, *b* quoad ſuccus abſumatur. Ac tandem torquendo valide exprimantur. Colatum tectum recondatur. Pro roſato vero incompleto, ſeu immaturo: Accipe foliorum roſarum rubrarum, recentium, incompletarum, videlicet, nondum explicatarum, & diu tritarum, libram unam. In olei omotribeos,

a *Quæ folia ſua explicuere.* b *Quod ſi non omnino abſumptum eſſe ſuccum reperiatur, colatum ipſum oleum ſub ſole diu detinebitur, donec totus ſuccus evanuerit. Neque prius in uſum recondetur.*

beos, seu omphacini, salisque expertis, vel sæpius aqua nitida loti, libris tribus, & succi rosarum libra semis, in vase vitreato, diligenter occluso, diebus septem soli exponantur. Deinde leniter in duplici vase tribus horis coquantur. Et exprimantur. Expressis abjectis, totidem similiter rosæ novæ ac recentes, in abjectarum locum, itidem cõtusæ, substituantur. Et optime obturando, diebus quadraginta insolentur. Ultimoque, simili prorsus modo & diligentia, ut in oleo rosato completo dictum est, coquantur: exprimantur: & in usum, ubi totus in eo succus fuerit absumptus, recondantur.

In Oleum Chamæmelinum.

EOdem modo quo rosatum parare docuimus, confici hoc & cætera similia poterunt, atque iisdem etiam servatis florum & olei ponderibus: Nisi quod tres hic fient permutationes non duæ tantum, ut in oleo rosaceo: Et quod loco succi, quẽ in oleo rosaceo præscripsimus, hic chamomilæ florum decoctio adjiciatur. At illud hic annotatione dignũ videtur, quod

nonnulli ex *a* Paulo & *b* Arctuario colligunt, flores chamæmeli, abjectis ejus foliolis albis, esse hic assumendos, aliter multo accipiendum, quam ipsi intelligunt. Neque enim hi auctores foliola illa alba damnant, sed tantum tempus quo ipsi chamæmeli flores sint legendi indicant, quando (nimirum) foliola illa alba ab ipsis florum capitulis decidua fuerint. Tunc enim flores ipsi sunt in sua perfecta maturitate ac proprio etiam semine perfecto prægnantes.

In Oleum Absynthii.

OLeum absynthii, quoniam ab incerto auctore, ob idque varie, paratur: quomodo apud omnes nostros Pharmacopœos confici debeat proponemus: Accipe olei olivarum, maturi, loti libras duas & semis. Cimarum seu summitatum absynthii pontici libram unam. Decocti ejus uncias sex. Confice eadem methodo, qua usi fuimus in oleo rosato completo, sed cum tribus permutationibus, ut in oleo chamæmelino advertimus.

In

a *Lib. 7, cap. 20.* b *Lib. 6. meth. cap. 10.*

In Oleum Vulpinum.

VUlpinum oleum, licet juxta Mesuæ descriptionem Pharmacopœi omnes conficere profitentur: tamen varie admodum concinnant. Quum enim quantitas aquæ & olei, in quo vulpem incoqui mandat Mesues, adeo parva sit, ut neutiquam illa rite & ad artuum (ut oportet) dissolutionem percoqui in ea possit: in hoc necessario ab eo variantes, etiam vulpem ipsam aliter parare & incoquere, quam Mesues præscripserit, non verentur. Quomodo igitur juxta Mesuæ, quoad fieri possit, mentẽ, ac ex arte parari hoc possit oleum, hic nostris Pharmacopœis proponemus: vulpes mediæ ætatis, & *a* pinguis, venatu longaque insectatione defatigata, recens mactata, exenterata, ac minutim, una cum pelle, concisa, confractis etiam ossibus, coquatur in aquæ fontanæ & marinæ, seu salsæ, ana libris sex, quoad libræ quatuor supersint. Deinde adde olei veteris clari libras quinque, Salis uncias tres. Comarum thimi, & anethi, ana libram unam. Per-

a *Per vindemiam uvis nutrita.*

Percoquantur lento igne uſque ad aquæ conſumptionem, & artuum diſſolutionem. Tum ei affundantur decocti, parati ex aqua dulci (in qua decoxerint ad tertias, thimi, & anethi, ana manipulus unus) circiter libræ octo. Recoquantur, donec, aqua prorſus conſumpta, vulpis partes exacte ſeparatæ ſint, & omnia ſint colliquata præter oſſa. Et tandem velociter extorquendo, dum adhuc calet, exprimatur. Expreſſumque ad uſum ſervetur.

In Vnguentum Album.

NOn erubeſcimus nos hic adeo triviale unguentum in examen afferre, quum noſtros Pharmacopæos non pudeat illud ex oleo communi parare: leviſſima excuſatione ſe tuentes, quod cum roſaceo oleo paratum minime reddatur album. At ne nos moroſos in omnibus cauſentur, illis condonemus, ne illud oleo roſaceo omphacino conficiant, ut ex arte parari deberet: ſed roſaceo ſaltem completo concinnent. Ita enim & minori expenſa parabitur, & minus ex albedine remittet.

In Vnguentum Diapompholygos.

VNguentum hoc nomine unguenti de tuthia parant omnes nostri Pharmacopœi, juxta *a* Guidonis descriptionem. In qua tamen cum æqualibus portionibus præscribantur oleum rosaceum & cera: nimis durum evaderet ipsum unguentum, ac magis cerotum quam unguentum dici mereretur. Quocirca loco ejus quod in Guidonis formula dicitur, olei rosacei & ceræ albæ ana uncias quinque: substituere oportebit; olei rosacei uncias septem, ceræ albæ uncias tres.

In Emplastrum contra rupturam.

EX variis hujus emplastri descriptionibus, quas varii auctores adducunt, duæ illæ quas *b* Guido affert à plerisque junio-

a *Tract. 2. doc. 1. cap. 5. de apostem. cancroso. & tract. 7. doc. 1. cap. 6, de medic. cicatrizentibus.*
b *Primam tract. 6. doc. 2. cap. 7. Secundam vero tract. 7. doc. 2. cap. 7. & in chirurgia parva, doc. 12. cap. ultimo.*

juniorum auctorum, qui dispensaria scripsere, præferri solent. Ex quibus unam construit Joubertus in sua Pharmacopœja, quam nos quidem minime damnamus. Sed quoniam propositum nostrum hic est auctorum descriptiones minime variare, nisi ubi tantum cum componendi arte pugnent quæ ab ipsis præcepta fuerint: priorem illam hujus emplastri formulam, quæ à Guidone affertur, & in usu magis recepta est, hic proponemus, in eo duntaxat correctam, in quo ars ipsa castigationem in ea desiderat: nempe, quo hujus emplastri consistentia & (ut appellant) ligatio emendetur. Siquidem experimento compertum est, & à plerisque doctis viris animadversum, ob ceræ vel olei defectum, aut picis & terebenthinæ parvam dosim, nimis friabile hoc evadere emplastrum, neque bene extendi, & parti ut oportet adhærescere posse. Ejus itaque formula hujusmodi erit: Accipe glutinis à pelle arietina, vel potius agnina, expressi libram semissem. Picis navalis, & colophoniæ ana uncias quinque. Terebenthinæ uncias septem. Boliarmeniæ, sanguinis draconis, gypsi, turis, sarcocolæ, aloës, pissasphalthi (loco mumiæ veræ) radicum

ari-

aristolochiæ, centaurii *a* minoris, radicum consolidæ majoris & minoris, sumach, berberis, nucum cupressi, gallarum, *b* sidii seu malicorii, vermium terrestrium, ana uncias duas. Glutinis piscium, visci quercini, ana unciam unam & semis. Litargyrii aurei, ammoniaci, opoponacis, galbani, bdellii veri (aut loco ejus sagapeni) mastiches, *c* sanguinis humani (aut loco ejus suilli) *d* exsiccati & in pulverem redacti, ana unciam unam.

Pellem arietinam junioris animalis cum tota lana succida recens excoriatam accipere convenit: eamque in minutissimas partes secare. Et in aquæ pluvialis & aceti quantitate sufficienti diutissime coquere, donec penitus dissoluta & colliquata fuerit. Tum totum decoctum calidum intorqueatur, & colo trajiciatur. Expressum vero rursus igni lento redditum tandiu coquatur, donec pene tota aqua evanescente in

a *In codice Guidonis legitur depravate, librariorum culpa, centaureæ utriusque, consolidæ, &c. cum legendum illic potius sit, centaureæ, utriusque consolidæ, &c. per utraque consolidam intelligendo majorem & minorem: ut ex altera hujus emplastri formula aperte constat, quam ipse affert locis à me antea citatis ex tract. 7. & chirurgia parva.*
b *Sidium, Barbaris psidia, officinis cortex granati, lat. malicorum.* c *Hominis sani* d *In furno modice calido.*

in gelatinæ modum condenſatum fuerit, & liquidioris glutinis aut bituminis conſiſtentiam acquiſierit. Atque in ejuſmodi glutinis tepidi libra ſemiſſe liquantur igni quoque lento glutem piſcium & viſcum quercinum præparatum. Quibus addantur *a* lumbrici ſeparatim ex vino cocti & cribro tranſmiſſi. Seorſim item gummi ammoniacum, oppponax, galbanum, & ſagapenum, à ſordibus mundata, & non nihil tuſa in aceto acerrimo per *b* noctem macerentur. Deinde lento igni expoſita rude agitentur, dum liqueſcant. Liquata, colata, & *c* parum ad lentorem percocta cum præfatis glutinibus conjungantur. Hiſque exacte permiſtis addantur *d* pix, colophonia, & terebenthina ſimul, poſtquam ſeorſum lento igni liquata & colata fuerint, omniaque eodem igne ſpatula jugiter

a *Alii lumbricos terreſtres primo lotionibus pluribus in aqua, deinde in vino lavans, & clibano modice calido deſiccant. Nos vero cum Ioubeato & aliis, vos ex vino coctos cribro trajici ſatius ducimus: tum ut pulverum quantitas ſit minor, tum etiam quoniam hoc modo parati commodiores ſint ad emplaſtri conſiſtentiam. At enim poſtquam cribro trajecta fuerint, oportebit eos clibano modice calido exſiccari, ne ex nimio eorum humore ſitum contrahat emplaſtrum & corruptioni obnoxium reddatur.* b *Vel ſpatio horarum ſex, ſuper cineribus calidis.* c *Igni lento ea jugiter movendo, dum acetum exhalarit.* d *Modice calida exiſtentis.*

giter ducantur dum non nihil ſpiſſata exacte uniantur. Quibus deinde indantur, pulveres litargyrii præparati, gypſi, & boli armenici aqua roſacea vel plantaginis loti. Hiſque probe miſtis & tepidis tantum, inſpergantur tenuiſſime pulverizata, piſſaſphaltum, ſarcocolla, maſtix, ſanguis draconis, aloës, & tus. Atque omnia ad lentum ignẽ multum agitata ſtrenue commiſceantur. Et ultimo igne ſubſtracto, *a* reliqua in tenuiſſimum ſimiliter pulverem redacta, eis addantur. Tandemque cunctis ſimul cum ſpatula aſſidue agitata diu ſubigantur, ut exactior fiat omnium permiſtio, &, quæ dici ſolet, incorporatio. Fiatque paſta: quæ ſupra marmor oleo lentiſcino vel myrtino inunctum, & manibus ſimiliter inunctis, diu multumque maceretur, ut emplaſtrum magis reddatur viſcidum.

In Emplaſtra Diachylon magnum & parvum.

PAuciſſimi ſunt ex noſtris Pharmacopœis, qui hæc emplaſtra rite, & juxta Meſuæ

a *Omnia, quæ teri poſſunt in hoc emplaſtro in pulverem tenuiſſimum lævigari oportet.*

Meſuæ deſcriptionem concinnent. Siquidem plerique illorum mucagines oleo incoquunt, vel potius comburunt: exinde vero in ipſo oleo lithargyrium coquunt, Qui vero ex eis peritiores putantur, partem quandam mucaginũ oleo incoquunt, & reliquam poſtea eorum partem in oleo & lithargyrio conſumunt. Quum nullatenus recte atque ex arte confici hæc emplaſtra queant, niſi in lithargyrio cum oleo prius præparato & cocto mucagines totæ abſumantur. Quomodo autem hæc fieri oporteat, cum late expoſuerit Joannes Du Boys egregius ſane apud Pariſienſes Pharmacopœus, ſupervacaneum cenſemus hic referre. Atque hunc nos auctorem noſtris Pharmacopœis commendamus, ut in reliquorum etiam, quæ exterius adhibentur, medicamentorum compoſitionis methodo, ſibi conſulendum ac imitandum proponant. Quippequem cæteris, qui de hoc argumento ſcripſere, exactius illam tradidiſſe, & fælicius abſoluiſſe arbitremur. Nos vero interim huic Pharmacopoliorum noſtratium recognitioni finem imponemus: hoc uno operæ ſtudiique noſtri expetito ac poſtulato à lectoribus pretio, ut quodcunque erit quod præſtiterimus æqui bonique conſulatur.

Quod

Quod ſi id eis probatum inrellexerimus, Pharmacopœjam, quam ſuis omnibus numeris completam paramus, ipſis communicare non gravabimur.

F I N I S.

INDEX RERVM.


LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

In

FINIS.



V. Morejon, t. III,
p. 358.